ARANEAE HUNGARIAE

SECUNDUM COLLECTIONES A LEONE BECKER PRO PARTE PERSCRUTATAS

CONSCRIPTAE A

CORNELIO CHYZER ET LADISLAO KULCZYŃSKI.

Tomi II-di pars prior.

THERIDIOIDAE.

(ACCEDUNT TABULAE QUINQUE).

BUDAPESTINI, 1894.

EDITIO ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE.

ARANEAE HUNGARIAE

SECUNDUM COLLECTIONES A LEONE BECKER PRO PARTE PERSCRUTATAS

CONSCRIPTAE A

CORNELIO CHYZER ET LADISLAO KULCZYŃSKI.

Tomi II-di pars prior.

THERIDIOIDAE.

(ACCEDUNT TABULAE QUINQUE).

BUDAPESTINI, 1894.

EDITIO ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE.

ELŐSZÓ.

A magyarországi Pókokról szóló munkánk jelen része csakis a *Theridioidák* családjával foglalkozik.

Sok időbe került ezen család ugynevezett nemeinek, melyeket az ujabb időkben felállitottak, behatóbb tanulmányozása s azon ismertető jelek fölfedezése, melyek ezen nemek megkülönböztetésére synopticus táblák segélyével némi támaszpontot nyujthattak.

Időközben ujabb gyűjtések által jelentékenyen megszaporodott azon pókfajok száma, a melyeket munkánk második kötetében a Theridioidákkal együtt leirni óhajtottunk.

A magyarországi Theiridiodákról itt olvasható adatok kezdetnek tekintendők, a melyet további vizsgálatoknak kellend majd kiegésziteni; nézetünk szerint azonban a Theridioidák jegyzékének közlését a még hátralevő családokra vonatkozó adatok összeállitásáig elhalasztani szükségtelen volna s ezért munkánknak ezen önálló részét külön adjuk ki.

Budapest, 1894. junius hó 15-ikén.

Chyzer Kornél.

PRAEFATIO.

Enumerationis aranearum Hungariae pars, quam foras emittimus, *Theridioidas* tantum tractat.

Non mediocris opera consumpta est in examinandis huius familiae generibus, quae dicuntur, recentiore tempore propositis, atque in conquirendis notis, quae in tabulis synopticis adhibitae ad genera haec distinguenda aliquatenus sufficiant. Interea congestis collectionibus novis insigniter aucta est copia aranearum earum, quas — una cum Theridioidis — tomo secundo operis nostri complecti propositum habuimus.

Quod de Theridioidis Hungariae dicere nunc possumus, inchoatum est quidem et investigationibus ulterioribus excolendum; in praesens tamen inutile censemus conspectum Theridioidarum nostrum differre propter ea supplementa, alias familias spectantia, quae nobis instant, quem conspectum itaque, partem enumerationis aranearum Hungaricarum separatam, in lucem proferimus.

Budapest, a. d. XVII. Cal. Jul. 1894.

Cornelius Chyzer.

Familia IX. Theridioidae Thorell 1869.

On European Spiders (pro parte: exclusa Pachygnatha).

O. Herman 1879 (pro parte). — Theridiidae Westring. 1861. Ar. Suec. (pro parte). — Theridiidae Blackwall. 1864. Sp. Gr. Br. (pro parte). — Theridiides Cambridge. 1879. Sp. Dors. (pro parte). — Theridionidae E. Simon. 1881—84. Ar. Fr. (pro parte).

Theridioidarum genera.

1. Oculi sex (antici medii obliterati sunt). **19. Comaroma.**
— octo (antici medii caeteris saepe multo minores, perfecti tamen) 2
2. Cephalothorax pone coxas IV in petiolum corneum contractus. **1. Formicina.**
— postice in petiolum non contractus, formâ ordinariâ 3
3. Oculi laterales inter se plus minusve remoti; labii margo non elevatus; tibiae anteriores lateribus non aculeatis 4
— — inter se contingentes, raro paullulum remoti, labii margo tum elevatus et tibiae anteriores lateribus aculeatis (in genere *Floronia*) 7
4. Oculi laterales inter se spatio quam diameter non aut non multo minore remoti. **17. Lathrodectus.**
— — inter se radio aut ne radio quidem remoti 5
5. Oculi medii postici ab anticis mediis et a lateralibus posticis spatiis parum inaequalibus remoti aut illis propiores, laterales antici a mediis anticis evidenter aut multo longius quam a lateralibus posticis remoti. Abdomen antice et postice rotundatum 6
— — — ab anticis mediis multo longius quam a lateralibus posticis distantes, laterales antici ab anticis mediis et a lateralibus posticis spatiis parum inaequalibus remoti. Abdomen postice truncatum, angulis prominentibus (in maribus non semper distinctis), antice truncatum et emarginatum. **5. Episinus.**
6. Sternum, punctis piligeris exceptis, laeve. Oculorum posticorum margines postici lineam designant evidenter aut levissime recurvatam (in cephalothorace desuper adspecto). Oculorum mediorum area antice evidenter aut paullulum latior quam postice, parum aut non longior quam antice lata. Maris clypeus altitudine circiter dimidiam longitudinem mandibularum aequat. **14. Lithyphantes.**
— rugosum. Oculorum posticorum margines postici lineam rectam aut levissime procurvam designant. Oculorum mediorum area antice non latior quam postice, evidenter longior quam antice lata. Maris clypeus aeque fere altus atque mandibulae longae. **13. Asagena.**
7. Tibiae I (praeter alios aculeos) in latere antico inferiore serie aculeorum longorum, 7 aut plurium, armatae, aculeis aliis minoribus interpositis; metatarsi I similem in modum armati, aculeis paucioribus. Area oculorum mediorum antice latior quam postice. Abdomen saepissime tuberculatum 8
Tibiarum anticarum armatura alia, saepe — dorso excepto — nulla 9
8. Oculi antici medii a clypei margine longius quam ab oculis mediis posticis remoti. Mandibulae non aut non multo longiores quam facies alta. Abdomen tuberculis (in maribus nonnunquam indistinctis) ornatum. **3. Ero.**
— — — ab oculis mediis posticis longius quam a clypei margine remoti. Mandibulae pluries longiores quam facies alta. Abdomen non tuberculatum. **2. Mimetus.**
9. Oculi medii postici cum lateralibus posticis et lateralibus anticis subcontingentes, inter se sat late disiuncti. Oculi antici medii caeteris, qui magni et inter se parum inaequales sunt, multo minores, cum lateralibus anticis et inter se fere contingentes. Sternum dense reticulatum. Mandibulae feminae non longiores quam facies alta, maris breviores quam clypeus. Maris palpi paracymbio carent, dorsum abdominis scuto duriusculo tegitur. **18. Pholcomma.**
— — — a lateralibus plus minusve late disiuncti; rarissime oculorum situs similis atque in priore, sternum tum laeve, abdomen cute molli tectum, maris palpi paracymbio instructi, eius mandibulae clypeo longiores, mandibulae feminae paullo longiores quam facies alta . 10

10. Labium planum, margine elevato caret. Palpi maris paracymbio carent[1]; palpi feminae — saltem saepissime — unguiculo pectinato instructi. Pedum tibiae lateribus inermibus . . 11
— margine elevato instructum.[2]) Palpi maris paracymbio mobili instructi; palpi feminae aut inermes, aut unguiculo modo glabro, modo pectinato instructi; specierum, quarum palpi unguiculo pectinato ornantur, tibiae anteriores in lateribus aculeis aut pilis, quam caeteri pili insigniter crassioribus plerumque armatae 23

11. Tibia cum patella IV. longior quam I. Mandibulae maris multo breviores quam clypeus sub oculis mediis altus, feminae eo saltem non longiores. Oculorum posticorum margines postici saepissime lineam recurvatam designant 12
— — — — aeque longa atque I., saepius eâ brevior 13

12. Series oculorum posterior insigniter recurvata; abdomen paullo depressum, postice plus minusve acuminatum, mamillis (in abdomine desuper adspecto) plus minusve prominentibus.[3]) **6. Euryopis.**
— — subrecta; abdominis dorsum postice convexum, mamillae non prominentes. **7. Lasaeola** (pars).

13. Area oculorum mediorum postice circiter oculi diametro latior quam antice; oculi medii antici posticis multo minores. Mandibulae in sulci unguicularis margine antice dentibus duobus sat magnis (et tertio minore, superius sito), inter se disiunctis armatae. Tibia cum patella IV. insigniter brevior quam I. **4. Nesticus.**
— — — postice non aut parum latior quam antice 14

14. Cephalothorax supra subterque punctis magnis impressis ornatus; pedum I. tarsus dimidio metatarso multo longior ($^2/_3$ aut $^8/_9$ metatarsi longitudine aequans). **12. Crustulina.**
Sternum laeve; raro impresso punctatum, tarsus I. tum dimidio metatarso non longior . 15

15. Mandibulae maris multo breviores, feminae saltem non longiores, quam clypeus sub oculis mediis altus. Feminae tibia cum patella IV. non aut parum brevior quam I. (insigniter longior quam tibia cum dimidiâ patellâ I.). Tarsus I. aeque longus atque dimidius metatarsus aut longior; oculorum mediorum area postice angustior (saepe multo) quam antice, raro antice et postice latitudine subaequali, tarsi antici tum dimidio metatarso multo longiores 16
— — non breviores quam clypeus sub oculis mediis altus, mandibulae feminae eo insigniter longiores 17

16. Oculorum series posterior evidenter recurvata, oculis mediis a lateralibus duplo circiter longius quam inter se remotis. Area oculorum mediorum sulco transverso prope oculos posticos sito ornata. Cephalothoracis dorsum ab oculis mediis posticis ipsis posteriora versus descendens. Tibia cum patella IV. brevior quam I. (in feminâ perparum, in mare evidenter). Abdomen setosum, in femina antice leviter emarginatum. Pedum anteriorum patellae aculeis binis, pone basim et in apice, instructae, tibiae aculeis etiam binis ornatae; aculei hi omnes pilis insigniter crassiores, aculei patellarum apicales et aculei tibiarum basi propiores longi, saltem duplo longiores quam tibiae crassae sunt. **8. Dipoena.**
— — — subrecta, rarius evidenter recurvata; dorsum cephalothoracis nonnunquam ab oculis posteriora versus adscendens; patellae et tibiae anteriores aculeis longis plerumque carent; oculi postici medii a lateralibus nonnunquam non aut parum longius quam inter se distant; abdomen breviter pilosum, antice non emarginatum; tibia cum patellâ IV. nnnnunquam non brevior quam I. **7. Lasaeola.**[4])

17. Mandibulae femoribus I. insigniter crassiores. Tibia cum patellâ IV. non brevior, aut in maribus nonnullis perparum brevior, quam I; tarsus I. dimidio metatarso insigniter longior. Sternum postice breviter acuminatum, inter coxas IV. non productum.[5]) **16. Pedanostethus.**
— — — plerumque non crassiores. Tibia cum patellâ IV. saepissime saltem non longior quam tibia I. cum dimidiâ patellâ; tarsus I. dimidio metatarso plerumque non longior. In paucis speciebus, quae mandibularum crassitudine et tibiarum posticarum longitudine a

---

[1]) Cave ne pro paracymbio habeas processum maximum, *patentem, immobilem,* quo palpi marium *Nesticorum* in latere basali exteriore laminae tarsalis ornantur.

[2]) Labium saepe adeo breve est, ut margo elevatus partem suam maiorem formet; labium tum convexum, basi impressum dici potest.

[3]) Mas *Eur. argenteomaculatae,* cuius oculorum series posterior modice tantum recurvata est, differt a maribus *Lasaeolae nigrinae* et *pronae* tibiis cum patellis IV. evidenter longioribus quam I. (0·88 : 0·73) mm.), neque, ut in his, aeque fere longis.

[4]) Parum hoc genus differt a *Dipoena.* Utrum notae supra allatae ad *Lasaeolas* omnes a *Dipoenâ* distinguendas sufficiant, an non, nescio, e pluribus enim *Lasaeolae* speciebus non vidi nisi exempla detrita aut corrugata.

[5]) Cave, ne pro sterni parte habeas partem pedunculi abdomen cum cephalothorace coniungentis mediam, obscure coloratam.

Pedanostethis non differunt, sternum inter coxas posticas productum est in processum insigniter longiorem quam latum 18

18. **A. Mares:**
Organum stridulatorium adest: pars postrema scuti dorsualis cephalothoracis subtiliter aut subtilissime transverse striata; abdomen circa pedunculum excavatum et margine elevato, corneo, varium in modum dentato ornatum; pars haec excavata abdominis parti striatae cephalothoracis arcte applicata 19A
— — abest. **9. Theridium.**

19 A. Mandibulae clypeo pluries longiores, dentibus validis instructae, plus minusve proiectae. **15. Enoplognatha.**
— duplam clypei altitudinem longitudine non excedunt, directae sunt, apice transverse truncatae, angulo apicali interiore plus minusve prominenti 20A

20 A. Maxillarum pars ultra labii apicem prominens labium longitudine aequat aut paulo superat 21A
— — — — — — labio circiter duplo brevior. **10. Teutana** (triangulosa).

21 A. Labium apice late truncatum angulis rotundatis. **10. Teutana** (grossa).
— subsemicirculare aut triangulare apice rotundato 22A

22 A. Palporum pars tibialis multo longior quam pars patellaris. **10. Teutana** (castanea).
— — — insigniter brevior quam pars patellaris. **11. Steatoda.**

18. **B. Feminae:**
Cephalothorax inter foveam ordinariam et marginem posticum spinulis brevibus subadpressis sat dense adspersus. **11. Steatoda.**
— — — — — — — glaber. **9. Theridium** et **10. Teutana.**[1])

23. Tibiae I. (saepissime etiam II.) utroque latere aculeato; raro lateribus inermibus aut uno tantum latere aculeo singulo debili armato, tibiae IV. tum supra et subter et in utroque latere aculeatae. (Cave, ne huc referas genera: *Maso* et *Minicia*, quorum tibiae subter quidem serie aculeorum duplici ornantur, in lateribus tamen inermes sunt) 24
— anteriores lateribus inermibus, aut in uno latere tantum (modo anteriore, modo posteriore) aculeo singulo ornatae; tibiae IV. subter et in utroque latere inermes 37

23. Oculorum anticorum margines inferiores lineam fortiter sursum curvatam designant, oculi medii lateralibus non aut parum minores. Oculi medii postici inter se longius quam a lateralibus remoti 25
Oculi postici medii inter se plerumque non aut vix longius quam a lateralibus remoti (excepto *Taranucno croatico*). Oculorum anticorum margines inferiores lineam designant procurvam, rectam, aut modice tantum recurvatam 26

25. Oculi medii antici a clypei margine spatio remoti non aut parum maiore quam diameter sua. Oculorum mediorum area antice non aut parum angustior quam postice. **20. Tapinopa.**
— — — — — — spatio remoti quam diameter sua multo maiore. Oculorum mediorum area antice multo angustior quam postice. **21. Floronia.**

26. Mandibularum dorsum in dimidio superiore spinis longis fortibus tribus instructum (spina infima superioribus tenuior). **23. Drapetisca.**
— — — — — spinis caret (saepe pilis longis ornatur) 27

27. Metatarsi saltem pro parte aculeati 28
— omnes inermes 36

28. Oculorum series posterior fortiter recurvata, oculi medii inter se longius quam a lateralibus remoti[2]). Oculi medii aream occupant postice latiorem quam longam et postice multo latiorem quam antice; eorum anteriores posterioribus multo minores. Margines inferiores oculorum anticorum lineam designant rectam aut paullulum procurvam. Pedum 6 anteriorum femora aculeata, posticorum inermia, metatarsi omnes aculeis singulis armati. **26. Taranucnus.**
— — — subrecta aut procurva; raro leviter recurvata, oculi postici medii tum a lateralibus longius quam inter se remoti. 29

29. Metatarsi, saltem pro parte, aculeis pluribus quam 1 armati 30
— nunquam aculeis pluribus quam 1 armati 35

30. Femora omnia inermia. **25. Linyphia** (pars).

---

[1]) Non mihi contigit invenire, quibus rebus *Teutanarum* feminae a feminis *Theridiorum* mihi notis distinguantur. Hanc ob rem pro feminis amborum generum infra *unam* tabulam synopticam damus.

[2]) Ambigua species est *Taranucnus* (?) *Herculanus*, oculorum serie postica evidenter quidem, sed non fortiter recurvata, oculis mediis inter se parum aut non longius quam a lateralibus remotis, area oculorum mediorum postice parum latiore quam longa. Eum, si metatarsos re vera aculeis singulis armatos habet (exempla pauca, quae vidi, aculeos plerosque perdiderunt), a *Lephthyphantis* et a *Centromero bicolore* femoribus 6 anterioribus aculeatis, posticis autem inermibus, distingues.

Femora saltem I. aculeata 31

31. Femora I. aculeata, caetera inermia; raro etiam femora II. aculeis singulis instructa, metatarsi anteriores tum aculeis pluribus quam 1 instructi 32

— saltem 6 anteriora aculeata 33

— 4 anteriora aculeata, 4 posteriora inermia; metatarsi 4 anteriores aculeis singulis, valde tenuibus, piliformibus, metatarsi III. aculeis singulis crassioribus, IV. aculeis 2 aut 3 armati. **35. Centromerus** (bicolor) [1]).

32. Area oculorum mediorum longior quam postice lata; oculi postici laterales a mediis saltem diametro suâ (plerumque multo longius) remoti. **22. Bolyphantes.**

— — — non aut vix longior quam lata postice; oculi postici laterales a mediis spatio quam diameter minore remoti. **28. Lephthyphantes** (pars).

33. Area oculorum mediorum antice multo angustior quam postice, oculi medii antici posticis plerumque insigniter minores. Nonnunquam areae illius latus posticum antico non multo longius est et oculi medii antici posticis non multo minores, pedes I. tum longiores sunt quam IV., oculorum anticorum margines inferiores lineam parum sursum curvatam designant. **25. Linyphia** (pars).

— — — antice non aut parum angustior quam postice. Oculi medii antici posticis non aut non multo minores 34

34. Pedes I. longiores quam IV. Maris metatarsi I. non incrassati. Oculorum anticorum margines inferiores lineam sat fortiter sursum curvatam designant. **27. Labulla.**

— — breviores quam IV. Maris metatarsi I. incrassati, fusiformes, deplanati. Oculorum anticorum margines inferiores lineam subrectam designant. **24. Stemonyphantes.**

35. Femora I. aculeata, caetera inermia. Tibia I. et II. supra aculeis 1.1, in utroque latere non procul ab apice aculeo 1 armata. **28. Lephthyphantes** (pars).

— I. et II. aculeata, III. et IV. inermia. Tibiae anteriores etiam subter armatae: serie duplici aculeorum tenuium 2 aut 3. **35. Centromerus** (bicolor).

36. Tibia cum patella I. longior quam IV. **30. Bathyphantes.**

— — — — brevior (non multo!) quam IV. **31. Porrhomma.**

37. Tibia IV. supra aculeis duobus instructa, rarius aculeo 1, femur anticum tum saltem in latere antico aculeo 1 armatum.[2]) 38

— — supra aculeo 1 aut nullo instructa. Femora inermia.[3]) 47

38. Femora I. in latere antico, aut supra et in latere antico aculeis singulis armata; nonnunquam etiam femora II. supra aculeata 39

— — aculeis carent. (Cave ne pro aculeis pilos habeas, caeteris longiores et crassiores, quibus femora saepe in latere utroque *subter*, prope apicem, ornantur). 42

39. Oculi postici seriem fortiter procurvam formant, medii lateralibus multo maiores, eis valde approximati, convexi. **36. Syedra.**

— — seriem parum aut non procurvam formant, medii lateralibus non aut parum maiores, ab eis plus minusve late remoti 40

40. Femur I. supra et in latere antico, femur II. supra aculeatum, tibia IV. supra aculeis duobus instructa (excepto *Centromero arcano*), tibia I. saepissime in latere antico paullo pone medium aculeo debili ornata. **35. Centromerus.**

— — aculeo 1 armatum, caetera inermia 41

41. Tibia IV. supra aculeis duobus instructa. **29. Poeciloneta.**

— — supra aculeo 1 armata. **35. Centromerus** (arcanus ♀).

42. Tibiae anteriores in lateris posterioris dimidio apicali aculeo 1 instructae. **39. Sintula.**

— anticae in latere antico non procul ab apice aculeo debili instructae, caeterum tibiae anteriores in lateribus non aculeatae; metatarsus IV. pilo „acustico" instructus.[4]) **32. Oreoneta.**

— anteriores lateribus inermibus 43

---

[1]) *Centromerus bicolor* non raro occurrere videtur metataris IV. aculeis singulis armatis, quam ob rem eum in tabula hac nostra etiam inter species, quarum metatarsi omnes aculeis non pluribus quam 1 armantur, ascivimus.

[2]) Apud duas species, auctore Cel. E. Simone huc relatas, mihi ipsi duos aculeos in tibiis IV. invenire non contigit, sc. apud *Micryphantem retroversum* et *M. cornigerum;* probabiliter in exemplis omnibus harum specierum, quae vidi (unica femina *M. retroversi* et exempla pauca, mascula et feminina *M. cornigeri*) aculei illi defracti sunt. Ambas has species forma partium genitalium valde peculiari facillime ab omnibus *Theridioidis* Hungaricis distingues.

[3]) Nescio an recte huc retulerim *Lasiargum hirsutum*, speciem hirsutia insignem, cuius perpauca vidi exempla.

[4]) Pilus „acusticus" *(„Hörhaar" Fr. Dahl)*, tenuissimus, longus valde, erectus, in dorso metatarsi situs, facillime ab omnibus pilis aliis distinguitur. Etiam quum avulsus est, facile cupulam, cui innatus erat, a radicibus aliorum pilorum aut aculeorum optime distinctam, sub microscopio videbis. (Cfr. *Dahl, Ueber die Hörhaare bei den Arachniden* in *Zoologischer Anzeiger VI.* 1883, pag. 267).

43. Metatarsus IV. pilo „acustico“ prope medium instructus 44
— — pilo acustico caret 45

44. Tibia cum patella IV. longior quam I. Pars tarsalis palporum maris multo longior quam pars tibialis, eâ insigniter crassior et latior. Epigyne, maximam partem cornea, processum format latum, prominentem. **37. Microneta.**
— — — — aeque longa atque I. Pars tarsalis palporum maris parva, brevior quam pars tibialis, eâ non multo latior, non evidenter crassior. Epigyne, margine postico corneo excepto, membranacea, parum elevata, ultra epigastrii marginem non prominens. **34. Leptorhoptrum.**

45. Oculi postici medii a lateralibus saltem diametro sua (saepe multo longius) remoti. Oculi medii antici inter se proximi, a lateralibus spatio multo maiore quam inter se remoti. Species maiores, saltem 3 mm. longae. **33. Macrargus.**
— — — a lateralibus spatio quam diameter minore remoti. Oculi antici medii inter se et a lateralibus plerumque spatiis parum inaequalibus distant. Species minores, ad $2^1/_4$ mm. longae. **38. Micryphantes.**

46. Tibiae anticae subter serie duplici aculeorum instructae aut saltem ad latus posterius aculeatae. (Cave ne huc referas *Pocadicnemidem pumilam)* 47
— — — inermes, in maribus nonnullis — praesertim apicem versus — solito crassius et densius pilosae *(Gonatium)* 48

47. Oculi postici medii inter se multo longius quam a lateralibus remoti, a lateralibus ne radio suo quidem remoti. Maris pars cephalica tubere magno ornata. Corpus pallide coloratum, ex. gr. sternum flavidum, nigro marginatum. **75. Minicia.**
— — — inter se saltem non evidenter longius quam a lateralibus remoti, ab his spatio quam diameter non aut non multo minore distantes. Maris pars cephalica tubere nullo ornata. Color obscurus, ex. gr. sternum fuscum aut nigricans. **74. Maso.**

48. **A. Feminae**[1]**:**
Metatarsus IV. pilo acustico instructus 49
— — — — caret 65

49. Abdominis dorsum scuto duriusculo, umbilicato-punctato tectum. Epigynes area sublibrata, in longitudinem subplana aut leviter excavata, antice tuber format corneum ab apice sterni multo minus quam a margine postico epigastrii remotum. Mandibularum unguis nonnunquam ita sinuatus, ut subter ad basim excavatus evadat.[2]) **76. Ceratinella.**
— — cute molli tectum. 50

50. Epigyne fissurâ medianâ ornata; fissurae margines inter se contingentes, incrassati. **54. Dicymbium.**
— — — caret 51

51. Epigynes partem posticam mediam lamella format rotundata aut cordiformis (antice latior), postice solum basi angustâ adnata, in lateribus et antice libera, sed areae epigynes adpressa in lateribus saltem. Oculorum series anterior paullo aut levissime procurva, posterior leviter recurva. Dorsum mandibularum in latere exteriore non granulatum. Sternum laeve. . . 52
Epigyne lamellâ simili, atque supra dicitur, caret 53

52. Tibiae IV. aculeus eius diametro brevior. Cephalothorax laete rufus. **50. Hypomma.**
— — aculeus diametro longior. Cephalothorax nigro-fuscus. **52. Dismodicus.**

53. Unguiculi pedum anticorum dentibus armati fortibus, inter se saepissime usque ad basim disiunctis, quorum saltem superiores et longitudine et crassitudine parum, aut saltem non valde ab unguiculi parte apicali differunt 54
— — — denticulis armati parvis, plerumque minutis et inter se contingentibus; denticuli etiam superiores pluries minores sunt quam unguiculi pars apicalis 56

54. Oculorum series anterior adeo procurva, ut margines inferiores mediorum cum marginibus superioribus lateralium lineam paene rectam designent. **77. Walckenaëra** (acuminata).
Linea supra dicta fortiter sursum curvata (series oculorum anterior modice aut non procurva) 55

55. Pilus acusticus metarsi IV. spatiis aequalibus a medio et ab apice remotus aut apici propior. Oculorum series posterior aut non aut leviter modo procurva. **49. Gonatium.**
— — — — medio multo propior quam apici, nonnunquam in dimidio basali situs[3]), rarissime ab apice spatio non multo maiore quam a medio remotus, series posterior

---

[1]) Feminae: *Abacoproecae, Acartauchenii, Metopobactri, Styloctetoris, Cnephalocotae sili, Lophommatis punctati,* mihi ignotae, in tabulam hanc non sunt receptae.

[2]) E *Ceratinellis* mihi notis longe non omnes unguem ad basim impressum habent.

[3]) Pilus hic situ paullo variat! probabiliter etiam apud feminam *W. Kochii,* quam non novi, non longius ab apice metatarsi distat quam ab eius medio.

oculorum tum adeo fortiter procurva est, ut margines anteriores oculorum mediorum cum marginibus posterioribus lateralium lineam paene rectam designent *(W. suspecta)*. **77. Walckenaëra.**

56. Dorsum mandibularum in parte exteriore granulis dispersis ornatum. Clypeus paullo reclinatus. Sternum aequabiliter reticulatum, modice nitens. Oculorum series posterior subrecta. **41. Trachygnatha.**
— — — — — saepissime non granulatum. Sternum laeve aut sublaeve, rarissime evidenter reticulatum (*Mecynargus longus*). Rarissime mandibulae in dorsi parte laterali superiore granulis ornantur, clypeus tum paullulum proiectus et sternum nitidum, paene laeve est . 57

57. Oculorum series anterior fortiter sursum curvata: margines superiores mediorum non aut parum altius quam margines inferiores lateralium siti. Sternum subtilissime reticulatum. Oculorum posticorum mediorum intervallum $1^1/_2$—2-plo maius quam diameter. **63. Mecynargus.**
— — — non aut parum recurvata. Sternum plerumque laeve 58

58. Epigynes humefactae (plus minusve pallidae) pars postica lineis ornatur duabus crassis nigricantibus, subrectis, e margine postico exeuntibus, inter se non longius quam metatarsorum latitudine remotis, parallelis aut anteriora versus inter se appropinquantibus, brevioribus aut aeque circiter longis atque spatium, quo postice inter se distant. Quibus lineis sulci respondent, formâ simili, non semper eâdem, plerumque parum profundi et impressionibus aliis plus minusve obscurati; margo posticus epigynes medio non productus. Oculorum series posterior paullo procurva aut recta, oculorum mediorum area postice latior aut parum angustior quam longa. Pars cephalica parum altior aut non altior quam angulus, in quem coëunt dorsi pars postica declivis et pars librata. **43. Neriene.**
Epigynes forma alia; lineae, si adsunt, nigrae, e margine postico exeuntes, subrectae, spatio inter se distant multo maiore quam metatarsorum crassitudo, aut margo posticus medius epigynes in ligulam productus est profunde sulcatam 59

59. Pilus acusticus metatarsi IV. in dimidio basali situs. **56. Entelecara.**
— — — — in dimidio apicali situs 60

60. Oculorum series posterior paullulum recurvata. Pedum IV. metatarsus paullulum longior quam tibia. **44. Trematocephalus.**
— — — plus minusve procurva. 61

61. Epigyne aream format corneam, nitidam, obscure coloratam, paene aequabiliter convexam, postice fissurâ ornatam profundâ, paene semicirculari, procurvâ, cuius apices anteriora versus et foras directi ad marginem posticum partis libratae epigynes siti — in epigyne a parte inferiore visâ — facile conspiciuntur, pars autem media in pariete epigynes postico iacet et difficilius cernitur. Oculorum series posterior modice procurva; area oculorum mediorum insigniter longior quam postice lata. **48. Moebelia.**
Epigynes forma alia 62

62. Epigynes pars postica media ligulam format paullo prominentem, profunde excavatam. Corpus valde hirsutum. **73. Lasiargus.**
Epigyne in ligulam nullam producta; corporis pubes ordinaria 63

63. Area oculorum mediorum aeque circiter longa atque postice lata. **42. Gongylidium.**
— — — insigniter aut saltem evidenter longior quam postice lata 64

64. Patellae posticae apice aculeo multo longiore quam est sua diameter armatae. Sterni apex inter coxas posticas sursum curvatus, insigniter angustior quam coxae hae latae sunt, nullâ carinâ evidentiori ornatus. Pedum pili solito crassiores et longiores, praesertim in femorum et in tibiarum anteriorum parte inferiore, ex. gr. tibiae I. subter in latere utroque pilis ca. 7 sat crassis et rigidis, patentibus, plerisque quam diameter sua non brevioribus, instructae. **64. Pocadicnemis.**
— — apice aculeo quam diameter breviore instructae. Sterni apex sursum curvatus carinulâ humili transversâ (sive margine paullo elevato), paullulum procurvâ, aeque longâ atque coxae IV. latae sunt, ornatus. **59. Trichopterna.**

65. Dorsum mandibularum in latere exteriore denticulis aut granulis ornatur, in seriem longitudinalem dispositis. Pars cephalica insigniter altior quam thoracica. Oculorum series posterior recta aut paullulum procurva; oculorum mediorum area postice parum latior quam antice. Sternum laeve. **40. Erigone.**
— — granulis in latere exteriore caret, rarius granulatum est, sternum tum reticulatum . 66

66. Epigyne fissurâ medianâ ornata, totam suam longitudinem aut saltem partem eius magnam occupanti; fissura modo marginibus contingentibus, modo varium in modum dilatata . . 67
— fissurâ medianâ caret, rarissime fissurâ medianâ in dimidio anteriore ornatur *(Tiso aestivus)* 68

67. Pedes aculeis fortibus et longis armati, ex. gr. aculeus in patellarum anteriorum apice situs earum diametro multo longior. Oculorum series posterior recta aut paene recta; area oculorum mediorum nonnunquam latior postice quam longa; si longior est quam postice lata, rimae epigynes margines inter se contingunt (in epigynes pariete inferiore) et elevati tuber formant oblongum. **53. Trichoncus** (pars).
Pedum aculei tenues et breves, ex. gr. aculei patellarum anteriorum earum diametro non aut parum longiores. Oculorum series posterior saepe plus minusve (nonnunquam valde) procurva, area oculorum mediorum saepissime longior quam postice lata. Margines rimae epigynes nunquam in tuber elevati. **55. Diplocephalus.**
68. Margines inferiores oculorum anticorum lineam designant procurvam 69
— — oculorum anticorum lineam designant rectam aut recurvam. Cephalothorax supra subterque aut saltem supra reticulatus 77
69. Cephalothorax punctis impressis, in series radiantes dispositis, aut striis radiantibus acute impressis et punctatis ornatus. Sternum lateribus saepe impresso-punctatum, caeterum sublaeve aut laeve, nitidum 70
— impressionibus radiantibus punctatis caret, rarius vestigiis impressionum talium ornatur, sternum tum crasse reticulatum est, opacum 71
70. Epigyne foveolâ ornatur profundâ, maiusculâ, quae maximam partem lamellâ repletur postice adnatâ, subpellucidâ. Abdominis dorsum cute molli tectum. **60. Cnephalocotes.**
— sulcis ornatur duobus, formâ et longitudine variâ, nonnunquam antice in foveolam parum definitam abeuntibus, foveâ profundiore, quae lamellâ quadam sit repleta, caret. Abdominis dorsum nonnunquam scuto duriusculo tectum. **58. Brachycentrum.**
71. Margines postici oculorum posteriorum lineam designant rectam aut vix procurvam. Cephalothorax laevis, nitidissimus 72
— — oculorum posteriorum lineam designant evidenter aut fortiter procurvam. Cephalothorax saepissime reticulatus 73
72. Tibiae dorso aculeis instructae quam diameter sua brevioribus. **51. Dicyphus.**
Aculei tibiales diametro tibiarum longiores. **45. Scotinotylus.**
73. Pilus acusticus metatarsi I. pone medium situs. **71. Tapinocyba** (pars).
— — — — ante medium situs 74
74. Clypeus sub oculis mediis humilior quam area oculorum mediorum longa 75
— — — — altior quam area oculorum mediorum longa 76
75. Sternum laeve. **57. Minyriolus.**
— aequabiliter, sat crasse reticulatum. **58. Brachycentrum** (medusa).
76. Epigyne margine postico saltem in lateribus elevato, ante eum plus minusve excavata. **65. Nematogmus.**
— tuber format parum elevatum. **67. Troxochrota.**
77. Series posterior oculorum recta aut levissime recurvata, raro levissime procurva, epigyne tum postice foveis ornatur duabus inter se carinâ acutâ disiunctis 78
— — — evidenter procurva 81
78. Unguiculi pedum anticorum dentibus ornati longis, longitudine et crassitudine partem unguiculi apicalem fere aequantibus. **69. Tiso.**
— — — denticulis parvis instructi 79
79. Oculi antici medii a lateralibus multo longius quam inter se remoti 80
— — — a lateralibus non longius quam inter se remoti, ab eis ne radio quidem distantes. Epigyne postice foveis duabus ornata, inter se carinâ acuta disiunctis. **70. Gongylidiellum.**
80. Sternum rugosum. Epigyne foramine magno profundo ornata. Abdomen breviter pilosum. **68. Lophomma.**
— laeve. Abdomen pilis longis hirsutum. **53. Trichoncus** (scrofa).
81. Sternum fortiter reticulatum, fere opacum. Unguiculi tarsorum anticorum dentibus sat longis pectinati. **66. Troxochrus.**
— subtilissime reticulatum aut laeve, fortiter nitens 82
82. Unguiculi tarsorum anticorum dentibus instructi longis; eorum plerique multo longiores quam unguiculus latus. **71. Tapinocyba.**
— — — denticulis instructi minutis; eorum supremus solus longitudine latitudinem unguiculi aequat aut fortasse paulio superat. **72. Panamomops.**
48. **B. Mares:**
Metatarsus IV. pilo acustico instructus 83
— — pilo acustico caret 100

83. Unguiculi pedum anticorum dentibus fortibus instructi, inter se saepissime usque ad basin distincte separatis; eorum saltem superiores et longuitudine et crassitudine parum aut saltem non valde ab unguiculi parte apicali differunt 85
— — — denticulis armati parvis, plerumque minutis et inter se contingentibus; eorum etiam superiores pluries minores sunt quam unguiculi pars apicalis 84
84. Pilus acusticus metatarsi IV. spatiis aequalibus ab apice et a medio remotus, aut apici propior. Tibiae I. apice paullulum sursum curvatae, subter prope apicem leviter incrassatae et barbatae, apice subito attenuatae; metatarsi I. subter serie duplici pilorum brevium, solito crassiorum, ornati. Pars cephalica eminentiis insignibus caret, nonnunquam pone oculos laterales sulco longitudinali ornatur. **49. Gonatium.**
— — — — saepissime multo longius ab apice quam a medio distat, rarius ab hoc et ab illo spatiis subaequalibus remotus est, pars cephalica tum processibus insignibus ornatur. Tibiarum I. forma ordinaria. Bulbi genitalis partem exteriorem anticam embolus format longus, gracilis, plus minusve in circulum curvatus. **77. Walckenaëra.**
85. Mandibularum dorsum dente ornatum. 86
— — (praeter denticulos in sulci unguicularis margine sitos) inerme 87
86. Clypeus paullo reclinatus. Palporum pars patellaris duplo saltem longior quam lata, apice subter dente brevi ornata; pars tibialis supra processu longo ornata. **41. Trachygnatha.**
— leviter proiectus. Palporum pars patellaris circiter $^1/_3$ longior quam lata, non dentata; pars tibialis supra processibus insigniter ultra basin laminae tarsalis prominentibus caret. **42. Gongylidium.**
87. Pars cephalica in tuber elevata plus minusve altum, supra oculos posticos medios gerens, in utroque latere (pone oculos laterales) foveâ ornatum 88
Partis cephalicae forma alia: pars haec modo eminentiis insignibus caret, modo eminentiâ unâ aut duabus, oculos non gerentibus ornatur, modo denique tuber cephalicum — oculos posticos medios gerens — in lateribus foveis caret. 91
88. Lamina tarsalis in carinam longitudinalem compressa, apicem versus dilatata, apice late emarginato-truncata. Processus partis tibialis breves, supra laminam tarsalem non producti. Pilus acusticus metatarsi IV. ab apice parum remotus. **64. Pocadicnemis.**
Laminae tarsalis forma ordinaria. Processus tibiales saepissime insigniter supra laminam tarsalem prominentes. Pilus acusticus metatarsi IV. longe ab apice remotus 89
89. Pilus acusticus metatarsi IV. in dimidio basali aut in medio situs. Abdomen cute molli tectum. **56. Entelecara.**
— — — — pone medium situs, ab eo insigniter remotus. 90
90. Abdominis dorsum scuto duriusculo tectum. **50. Trichopterna.**
— — cute molli tectum. **61. Abacoproeces.**
91. Abominis dorsum scuto duriusculo tectum. Unguis mandibularum ad basim saepe sinuatus. **76. Ceratinella.**
— — cute molli tectum. 92
92. Oculorum series anterior fortiter recurvata; oculorum mediorum margines superiores non altius quam margines inferiores lateralium siti. Pars cephalica in tuber elevata altum, transversum, longe pilosum, oculos posticos medios supra gerens. **63. Mecynargus.**
— — — recta aut procurva 93
93. Clypeus, ad marginem fortiter convexus, tuber format transversum. Pars cephalica in tuber elevata magnum, aeque saltem latum atque oculorum area, latius quam longum. **52. Dismodicus.**
Clypei forma ordinaria; rarius clypeus supra marginem solito fortius convexus est, pars cephalica tum eminentiis caret 94
94. Pars cephalica pone oculos processu instructa anteriora versus directo, apice cum tuberculo, quo ipsa antice ornatur, contingenti, ita ut a latere adspecta perforata videatur. **46. Trematocephalus.**
Partis cephalicae forma alia 95
95. Pars cephalica in tuber elevata sulco longitudinali profundo in tubercula duo oblonga parallela divisum. **50. Hypomma.**
— — aut eminentiis caret aut in tuber non divisum (raro impressione longitudinali adeo vadosâ, ut difficilius cernatur, ornatum) elevata 96
96. Palporum pars tibialis processu ornatur mediam circiter laminam tarsalem attingenti, lato, apice subito in aculeum gracilem, foras et paullo retro directum, contracto; pars patellaris gracilis, (circiter 3-plo longior quam apice lata) clavata, basi circiter duplo angustior quam apice. Sternum crasse impresso-punctatum. **54. Dicymbium.**
— — — processu uno aut duobus ornata ultra basim laminae tarsalis parum aut non

productis; pars patellaris (duplo longior quam apice lata, aut brevior) apicem versus parum dilatata. Sternum laeve aut subtilissime reticulatum 97

97. Bulbus genitalis stylo ornatus longo, gracili, curvato 98

— — in parte apicali mediâ et interiore processu uno aut duobus obscure coloratis, brevibus ornatur, stylo longo gracili caret. **43. Neriene.**

98. Pars cephalica insigniter elevata, conum format, cuius apex supra oculos posticos medios paullo prominet et pilis 3 (2?) crassis longis curvatis, anteriora versus directis ornatur. Patellae et tibiae aculeis valde brevibus, quam diameter sua multo brevioribus armatae. **46. Metopobactrus.**

— — non aut parum elevata, supra oculos medios posticos non prominet. Aculei patellarum et tibiarum earum diametro non aut parum breviores 99

99. Corpus valde hirsutum. Embolus in parte interiore bulbi iacet, in bulbo a latere exteriore adspecto non conspicitur. **73. Lasiargus.**

Corporis pubes ordinaria. Embolus, paene in circulum curvatus, bulbi partem exteriorem anticam ornat. **48. Moebelia.**

100. Apex partis patellaris palporum subter processu ornatur quam pars ipsa non aut non multo breviore, deorsum aut deorsum et anteriora versus directo. Mandibularum dorsum in latere exteriore serie denticulorum ornatum. **40. Erigone.**

Pars patellaris palporum processu nullo instructa. 101

101. Lamina tarsalis in carinam compressa longitudinalem, leviter foras curvatam, denticulatam, prope apicem laminae in tuber insigniter prominens desinentem. **65. Nematogmus.**

— — convexa non carinata, aut carinâ mediam laminam non attingenti ornata 102

102. Abdominis dorsum scuto duriusculo punctis plus minusve evidenter umbilicatis ornato, tectum 103

— — cute molli tectum 104

103. Pars cephalica in tuber variâ altitudine elevata, pone et supra oculos laterales foveâ profundâ ornatum; pars thoracica plerumque punctis impressis, in series radiantes dispositis, ornata. **58. Brachycentrum.**

— — supra partem dorsi sublibratam paullo elevata, tuber definitum non format, foveis pone oculos sitis caret; clypeus valde convexus tuber format complanatum, adeo prominens, ut in cephalothorace desuper adspecto oculi antici medii ab eius margine longius distare videantur quam ab oculis mediis posticis. Pars thoracica punctis impressis, in lineas radiantes dispositis, caret. **60. Cnephalocotes.**

104. Pars cephalica *pone* oculos in tubercula duo oblonga inter se subparallela elevata. **51. Dicyphus.**

— — eminentiis pone oculos sitis caret (in aliis pars haec non evidenter elevata est, in aliis varium in modum elevata, oculi medii postici tum in eminentiâ cephalicâ iacent) . . 105

105. Oculi parvi, antici laterales a mediis circiter 4-plâ suâ diametro remoti; series oculorum antica subrecta (paullulum sursum curvata). Pars cephalica elevata, in lateribus pone oculos foveâ nullâ ornata. Palporum pars tibialis supra processibus duobus brevibus, supra laminam tarsalem parum prominentibus ornata. **62. Acartauchenius.**

— mediocres, antici laterales a mediis plerumque non duplâ suâ diametro remoti, rarius ab eis spatio maiore distant, pars cephalica tum pone oculos laterales foveâ aut sulco ornatur, aut pars tibialis palporum processu instructa est magnam partem laminae tarsalis tegenti aut saltem dimidiam laminam tarsalem longitudine paene aequanti et oculorum series anterior lineam nonnunquam procurvam designat 106

106. Mandibulae apice oblique truncatae et leviter emarginatae, in angulo denticulis duobus fortibus armatae, quorum aut alter iuxta alterum situs est: margo anticus sulci unguicularis tum inter denticulos hos et apicem mandibulae inermis est, sternum et cephalothorax (cum clypeo) punctis magnis impressis, mandibularum dorsum praesertim versus latus exterius punctis impressis minoribus ornatur *(L. punctatum)*; — aut denticulus alter pone alterum iacet: margo anticus sulci unguicularis tum denticulis duobus aliis ornatur, sternum et cephalothorax ubique reticulata sunt, mandibularum dorsum latus exterius versus granulis parvis adspersum *(L. herbigradum)*. Pars cephalica pone oculos foveâ profundâ ornata. **68. Lophomma.**

— apice intus rotundato-angustatae, in dorso non procul a sulco unguiculari dente forti instructae. **70. Gongylidiellum.**

— apice rotundato-angustatae, neque granulatae, neque punctatae; sulci unguicularis armatura ordinaria; raro apex mandibularum oblique truncatus potius, quam rotundatus est, sternum tum laeve est et pars tibialis palporum processu insigni longitudine ornatur. 107

107. Sternum et cephalothoracis pars maxima dense reticulata, subopaca; palporum processus tibialis parum ultra basim laminae tarsalis productus. Pars cephalica pone oculos foveâ sat profundâ ornata; oculorum series anterior insigniter recurvata. **66. Troxochrus.**
Aut sternum aut cephalothorax, aut sternum et cephalothorax laevia, nitida; si ambo reticulata aut punctata sunt, pars tibialis processu ornatur dimidiam laminam tarsalem longitudine fere aequanti, aut oculi anteriores seriem non recurvatam formant 108

108. Fovea pone oculos posticos plerumque nulla, rarius adest adeo parva, ut difficilius conspiciatur *(Tiso aestivus)*. Oculorum series posterior (in cephalothorace desuper adspecto) plerumque recurva aut recta, raro procurva (*Diplocephalus humilis*) 109
— — — — distincta. Oculorum series posterior insigniter procurva 111

109. Cephalothorax laevis 110
— reticulatus. Clypeus subplanus, ad perpendiculum paene directus. Margines inferiores oculorum anticorum lineam designant rectam aut leviter sursum curvatam. **69. Tiso.**

110. Clypeus, sub oculis leviter impressus, caeterum insigniter convexus, in cephalothorace desuper adspecto ultra oculos anticos medios non parum prominet. Oculorum anticorum margines inferiores lineam procurvam designant. **45. Scotinotylus.**
— subplanus aut leviter in longitudinem convexus, in cephalothorace desuper adspecto ultra oculos anticos non aut perparum prominet 111

111. Clypeus fortiter reclinatus. **55. Diplocephalus** (pars).
— paene ad perpendiculum directus 112

112. Palporum pars tibialis — praeter processus alios — in latere interiore processu longo, laminae tarsali plus minusve adpresso ornata; laminae tarsalis pars basalis exterior profunde excavata, a caeteris partibus carinâ acutâ distincta. **53. Trichoncus.**
— — — supra solum processu longo ornata. **47. Styloctetor.**

113. Palporum pars tibialis supra processu (nonnunquam profunde diviso) ornata insigniter ultra mediam laminam tarsalem producto, nonnunquam partem maximam laminae tarsalis tegenti. Pars cephalica in tuber distinctum, postice et in lateribus optime definitum elevata, quod a fronte adspectum plerumque non evidenter humilius videtur quam latum, lateribus ad perpendiculum directis, convexis. Cephalothorax et sternum laevia, aut pars thoracica — modo tota, modo supra margines solum — reticulata, sternum tum punctis magnis impressis, nonnunquam obsoletis ornatum et saltem latera versus irregulariter rugulosum. Unguiculi tarsorum anticorum denticulis minutis ornati, ita ut saepe sublaeves dici possint. **55. Diplocephalus** (pars).
Processus tibialis — nonnunquam divisus — mediam laminam tarsalem non attingit, raro parum brevior est quam dimidia lamina tarsalis *(Panamomops diceros)*. Pars cephalica rarissime tubere simili atque in prioribus ornatur *(Minyriolus)*, plerumque tubere distincto caret, aut tubere humili ornatur, quod in cephalothorace a fronte adspecto insigniter humilius videtur quam basi latum. Cephalothorax et sternum reticulata (hoc saepe multo subtilius quam ille), aut cephalothorax reticulatus, sternum laeve (*Minyriolus*) aut paene laeve *(Panamomops)*, aut ambo inaequabiliter rugosa *(Troxochrota.)*. Unguiculi tarsorum anticorum dentibus aeque fere magnis atque pars apicalis aut saltem mediocribus ornati, raro minutis. 114

114. Pars thoracica lineis radiantibus impressis et impresso punctatis ornata. Palporum pars tibialis supra unco parvo, nigro, intus curvato ornata. **60. Cnephalocotes** (pars).
— — lineis impressis radiantibus caret. Palporum processus tibialis uncum intus directum non format. 115

115. Oculi antici laterales a mediis insigniter longius quam diametro suâ remoti. Pars cephalica modo tubere caret et supra oculos laterales cornua format cuspidata, modo tubere parvo, humili, sulco profundo dimidiato, ornatur. Unguiculi tarsorum anticorum denticulis minutis instructi. **72. Panamomops.**
— — — a mediis non totâ diametro suâ remoti. Unguiculi tarsorum anticorum dentibus magnis aut mediocribus instructi (parvis in *Minyriolo*) 116

116. Sternum et pars thoracica crasse, irregulariter rugosa. Palporum pars tibialis supra in angulo interiore processu foras curvato, non diviso, ornata. **67. Troxochrota.**
— laeve aut aequabiliter reticulatum, palporum pars tibialis tum processu in dentes duos diviso ornata 117

117. Bulbi genitalis pars antica exterior stylo longo tenui, in circulum curvato, ornata; lamina tarsalis secundum eum late oblique truncata. Pars thoracica reticulata, sternum laeve. Pars cephalica tubere postice optime definito, non sulcato, ornata; tuber hoc a fronte adspectum

supra oculos anticos medios aeque saltem alte prominet atque latum est. Unguiculi tarsorum anticorum denticulis parvis ornati. **57. Minyriolus.**

Bulbus genitalis stylo longo, in circulum flexo, caret. Lamina tarsalis apice late rotundato truncata. Pars thoracica et sternum reticulata (hoc nonnunquam subtilissime!). Pars cephalica modo tubere distincto nullo ornata, modo in tuber humile, distinctum, sulco longitudinali — praesertim antice distincto — ornatum elevata. Unguiculi tarsorum anticorum dentibus magnis aut saltem mediocribus instructi. **71. Tapinocyba.**

Genus 1. **Formicina** *Canestrini 1868.*

Thorell 1869. Simon 1881.

F. mutinensis. Pars cephalica multo altior quam pars thoracica; oculorum series anterior paullulum procurva, posterior subrecta in feminâ, paullulum procurva in mare. Cephalothorax colore varians, flavo-rufus, margine infuscato, lineâ fuscâ, antice furcatâ, parum distinctâ ornatus, aut fusco-niger, crasse rugosus, exceptâ capitis parte posticâ superiore declivi, quae laevis est; sternum rugosum. Pedes rufo-flavidi. Abdomen subter et in laterum parte inferiore nigrum, dorsum flavido-fuscum, anterius lineâ nigrâ longitudinali ornatum, circiter $^2/_3$ longitudinis occupanti, utrimque ramulos 3 aut 4 transversos emittenti, posterius lineolis transversis nigricantibus pictum; latera versus maculis albis utrimque 4 et inter eas maculis nigris magnis utrimque 3 ornatum. Pictura haec valde mutabilis: ex. gr. maculae albae nonnunquam omnes evanescunt, maculae nigrae adeo dilatatae et confusae inveniuntur, ut dorsi $^2/_3$ anteriores macula occupet nigra, colore fusco marginata, medio utrimque profunde incisa, postice autem dorsum lineolis transversis nigris et fuscis ornetur. Epigynen lamella format paullo latior quam cephalothoracis pars postica producta, fortiter convexa, laevis, nitida, cornea, paullo transversa, cuius margo posticus, medio leviter excisus, basim occultat processus longissimi, pallidi, pedum tarsos crassitudine non aequantis, ventri adpressi, ultra medium ventrem producti, ad apicem subter foveolâ parvâ ornati. Maris palpi parte patellari paene 3-plo longiore quam apice latâ, elevatâ; pars tibialis apicem versus insigniter incrassata, parte patellari brevior, parum latior, insigniter crassior; pars tarsalis aeque fere longa atque tibialis cum patellari, paracymbio instructa, apicem versus angustata. Cephalothorax feminae 1·7, maris 2·0 mm. longus.

Species 1. **Formicina mutinensis** *Canestrini 1868. Nuovi aracn. ital.*

Formicina mutinensis Sim. 1881. Ar. Fr.

IV. Langenfeld, 15. II. ♀ V. Hátszeg. VII. Orehovicza, (25. III. 88. ♂), Buccari.

Formicina mutinensis var. pallida *Canestrini 1868. ibidem.*

Sim. 1881. Ar. Fr.

IV. Orsova. VII. Draga garcina, Martinscizza.

Genus 2. **Mimetus** *Hentz 1832.*

O. Herman 1879. Simon 1881.

M. laevigatus. *Feminae* abdomen rotundato-pentagonum, latere antico caeteris breviore et medio leviter exciso, in medio aut paullo pone medium latissimum, ovis distentum paullo latius quam longum, caeterum longius quam latum. Epigyne (Tab. I., fig. 1a) tuberculum format latitudine maxillas cum labio fere aequans, transversum, corneum, plus minusve elevatum; antice tuberculum foveâ ornatur plerumque rotundatâ et modice profundâ, paullo mutabili (eius margo anticus nonnunquam fere rectus, fovea tum semicircularis est, nonnunquam indistinctus, tuberculum tum antice in medio emarginatum dici potest), postice autem in foveam excisum est transversam sub-ellipticam, lamellâ corneâ transversâ magnâ ex parte repletam. *Mas:* laminae tarsalis, desuper et a parte interiore adspectae, latus interius et apex parum inaequabiliter rotundata videntur, latus exterius autem paullo ante medium in angulum optime expressum, valde latum, fractum, postice in cristam dilatatum longiorem quam altam, margine apicali leviter excavatam, angulo apicali antico acuto, postico (qui retro directus est) rotundato; non procul ab apice latus exterius denticulo ornatum videtur nigro, humili, acuto, recurrenti (Tab. I., fig. 1b.). Bulbus genitalis non procul a medio latere exteriore processu ornatur insigniter prominenti, deorsum et intus directo, leviter sinuato, e basi

sat latâ paullo inaequabiliter angustato, in aculeum gracilem, corneum, paullo procurvum, desinenti (tab. I. fig. 1c). — Colore non parum variat haec species; e maculâ magna, oblongo pentagonâ, fusco-nigrâ, colore flavido variegatâ, totum fere spatium oculis et foveae ordinariae cephalothoracis interiectum plerumque occupanti, restant nonnunquam vix puncta pauca nigra dispersa. Cephalothorax feminae ca. $2^1/_4$—$2^1/_2$, maris ca. 2—$2^1/_2$ mm. longus.

Species 1. **Mimetus laevigatus** *(Keyserling) 1863. „Ero".*

(Beschreibungen neuer Spinnen).

Tab. I. fig. 1, *a:* epigyne, *b:* pars tarsalis palpi maris desuper et a latere interiore, *c:* a latere exteriore visa.

Mimetus laevigatus O. Herm. 1879. — M. interfector Sim. 1881. Ar. Fr.

Mimetus interfector Hentz alia est species, praesertim partium genitalium structurâ distincta (cfr. figuras nostras cum figuris a Cel. J. H. Emertonio in *„New England Spiders of the Family Theridiidae"* delineatis), non vero abdominis formâ, quae sine dubio similem in modum variat atque in *M. laevigato;* in exemplo feminino *M. interfectoris* a Cel. Dre Geo. Marxio nobiscum communicato abdomen latius est quam longum (cfr. tabulam synopticam Comitis E. a Keyserling in *„Die Spinnen Amerikas. Theridiidae. II-te Hälfte"*, pag. 6).

I. Tokaj. II. Almádi, Sopron. III. Monor (8. VII. ♀). IV. Baziás. VII. Buccari, Crkvenica, Selce, Novi (5. VII. 92 ♂,♀).

Genus 3. **Ero** *(C. L. Koch) 1837.*

Theridion Blackwall 1864. (pro parte). — Ero Westring 1861. — Thorell. 1869. — Cambridge 1879. — O. Herman 1879. — Simon 1881.

Feminae.

1. Abdominis dorsum tuberculis quatuor, per paria dispositis, ornatum 2
   — — pari tuberculorum uno instructum, inter tubercula et mamillas fortiter in longitudinem convexum. Epigyne in margine postico utrimque tuberculo nigro aut fusco, nitido, ornata; pars inter ea sita, eis latior, in longitudinem excavata, foveam format in lateribus et postice marginibus elevatis circumdatam (Tab. I. fig. 2 a). Ceph. ca. 1·6 mm. lg. **1. furcata.**
2. Tubercula abdominis inter se parum inaequalia. Abdomen cum tuberculis aeque paene altum atque longum; dorsum inter tubercula anteriora et mamillas fortiter convexum. Epigyne ad marginem posticum foveâ ornata profundâ, transversâ, septo e margine postico exeunti, in longitudinem fortiter convexo, dimidiatâ (Tab. I. fig. 3 a). Ceph. ca 1·4 mm. lg. **2. aphana.**
   — — anteriora posterioribus multo maiora. Abdomen cum tuberculis insigniter altius quam longum. Dorsum inter tubercula anteriora et mamillas laeviter convexum. Epigynes pars media postica tuber format transversum, antice et in lateribus sulco acuto a partibus adiacentibus optime distinctum; margo epigynes posticus ad tuber hoc utrimque tuberculo minore et minus elevato ornatus (Tab. I. fig. 4 a). Ceph. ca 1·7 mm. lg. (Sec. perpauca exempla). **3. tuberculata.**

Mares.

1. Lamina tarsalis in parte basali marginis superioris (exterioris) processibus ornatur duobus; processus a basi longius distans uncum format modice gracilem, acutum, foras fere directum, anteriora versus curvatum (Tab. I. fig. 3 b). Palporum pars tibialis duplo circiter longior quam patellaris, claviformis, desuper visa apicem versus aequabiliter dilatata, a latere adspecta parum inaequabiliter incrassata. Abdomen tuberculis quatuor, inter se subaequalibus ornatum. Ceph. ca 1·3 mm. lg. **2. aphana.**
   Processus anterioris (sive superioris) prope basim laminae tarsalis siti forma alia. Abdomen tuberculis duobus parvis, aut tuberculis quatuor, anterioribus quam posteriora multo maioribus, ornatum. 2
2. Ambo processus laminae tarsalis inter se valde approximati; anterior corneus, apice acuto foras et retro deflexo, eius basis antica in palpo a fronte et desuper adspecto nullum dentem evidentiorem format; processus posterior maximam partem pallidus membranaceus, complicatus, eius paries retro flexus margine postico in dentes duos obtusos, sinu angusto disiunctos, exciso (Tab. I. fig. 2 b). Abdomen tuberculis duobus parum elevatis ornatum. Ceph. ca 1·2 mm. lg. **1. furcata.**

Ambo processus laminae tarsalis inter se sinu sat lato disiuncti; anterioris apex late truncatus et leviter emarginatus, basis antica in dentem compressa, qui in palpo a fronte et paullo desuper adspecto facillime conspicitur. Processus posterioris paries reflexus margine postico rotundato (Tab. I. fig. 4 b.). Abdominis tubercula anteriora insigniter elevata. Ceph. ca 1·5 mm. lg. **3. tuberculata.**

Species 1. **Ero furcata** *(Villers) 1789. „Aranea."*

Tab. I. fig. 2. *a)* epigyne, *b)* pars tarsalis palpi maris a latere exteriore visa.

Ero variegata Westr. 1861. Ar. Suec. — Theridium variegatum Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Ero thoracica Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Ero furcata Sim. 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Szerencs, Szőllőske, Szinna (14. VI. iuv.), Bártfa, Körtvélyes. IV. Temesvár (29. IV. ♂) VII. Buccari. VIII. Mrzla-Vodica (12. VIII. ♂).

Species 2. **Ero aphana** *(Walckenaër) 1802. „Aranea."*

Tab. I. fig. 3. *a)* epigyne, *b)* pars tarsalis palpi maris a latere exteriore visa.

Ero atomaria C. L. Koch 1845. Arachn. — Ero aphana Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Szőllőske, Széphalom (in Coniferis 8. VI. ♂,♀), Beregszász, Felfalu, Pilis-Marót. III. Budapest (Kelenföld), Kalocsa, Hadház. IV. Temesvár, Deliblat. V. Szamosujvár. VII. Orehovica, .Crkvenica. VIII. Diakovár.

Species 3. **Ero tuberculata** *(De Geer) 1778. „Aranea."*

Tab. I. fig. 4. *a)* epigyne, *b)* pars tarsalis palpi maris a latere exteriore visa.

Ero tuberculata C. L. Koch 1845. Arachn. — Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1879—81. Sp. Dors. — Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Széphalom, Őrmező. III. Kecskemét, Hadház. IV. Buzias, Deliblat. V. Kolozsvár. VIII. Podsused.

Genus 4. **Nesticus** *Thorell 1869.*

Theridium Westring 1861 (pro parte). — Linyphia Blackwall 1864 (pro parte). — Nesticus O. Herman 1879. —Cambridge 1879. — Simon 1881.

Feminae.

1. Epigynes pars media, pallida, a partibus lateralibus obscure coloratis utrimque impressione distincta obliquâ, perparum definitâ, ad marginem posticum in foveam profundiorem dilatatâ, posteriora versus insigniter dilatata, angulis posticis foras directis acutis. (Tab. I., fig. 6) 2
   — — — a lateralibus sulcis posteriora versus inter se appropinquantibus, aut postice incurvatis distincta, posteriora versus non dilatata 3
2. Cephalothorax margine nigro et vittâ mediâ fuscâ aut nigricanti, inaequali ornatus. Pedes annulati. Cephal. ca. 2 mm. lg. **1. cellulanus.**
   — pallidus, concolor, ca. 1·6 mm. longus; pedes non annulati. **2. affinis.**
3. Pars epygines media subquadrangula, aut apice late rotundata. Cephalothorax et pedes pallide colorata, concolora 4
   — — — triangularis (Tab. I, fig. 9). Cephalothorax margine nigro et vittâ mediâ obscurâ ornatus; pedes vestigiis annulorum obscurorum ornati. Cephal. ca. 1·6—1·9 mm. lg. **5. Hungaricus.**
4. Sulci epigynes antice in foveolas profundas transversas dilatati (Tab. I. fig. 7a). Cephal. ca. 2—$2^1/_4$ mm. lg. **3. fodinarum.**
   — — — in foveolas oblongas dilatati (Tab. I. fig. 8). Cephal. ca. 1·5—1·6 mm. lg. (Sec. duo exempla). **4. puteorum.**

Mares.

Processus, quo angulus exterior posticus laminae tarsalis ornatur, magnus, sat latus, lamelliformis, foras et paullo retro directus, subito anteriora versus curvatus, angulo exteriore rotundato-dilatato deorsum flexo; pars eius anteriora versus directa, duplo circiter longior quam lata, latitudine parum inaequali, apice transverse truncato, angulo interiore rotundato, exteriore acuto. Bulbus genitalis paullo ante medium processu ornatus corneo, sat crasso,

anteriora versus et intus directo, latere interiore prope medium in dentem producto, apice leviter procurvo; non procul ab apice huius processus bulbus processu instructus est longiore, pallido, gracili, longe attenuato, magis intus directo, apice foras et deorsum flexo; partem bulbi exteriorem processus format in dentes tres desinens, quorum duo posteriores breves et obtusi sunt, anticus autem insigniter longior, gracilis, acutus, leviter contortus est (Tab. I. fig. 5). Cephal. ca. 1·8—2 mm. lg. **1. cellulanus.**
Processus supra dictus similem in modum atque in priore curvatus; eius pars foras directa subter ramum emittit complanatum, longiorem quam latum, apice rotundatum; corpus partis anteriora versus directae breve, latum, eius margo apicalis medio leviter excisus, exterius acute denticulatus, intus autem in spinam productus longam (longitudine partem tibialem fere aequantem), gracilem, acutam. Bulbus apice excepto processibus insigniter prominentibus caret; apicem eius lamella format cornea valde inaequalis, dente acuto, modice longo, porrecto, ornata (Tab. I. fig. 7 b, c). Cephal. ca. 2—2·2 mm. lg. **3. fodinarum.**

Species 1. **Nesticus cellulanus** *(Clerck) 1757. „Araneus".*

Tab. I, fig. 5: pars tarsalis palpi maris a latere exteriore visa.

Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879. — Simon 1881. Ar. Fr. — Meta cellulana C. L. Koch. 1841. Arachn. — Theridium cellulanum Westr. 1861. Ar. Suec. — Linyphia crypticolens Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit.

I. S.-A.-Ujhely, Roskócz, Munkács, Oroszvég, Bártfa, Felfalu, Selmecz (Pachertárna, Szentháromságtárna, Ferencz császár tárna), Vihnye (Antal-tárna), Cserépfalu. II. Almádi. III. Kalocsa. IV. Mehádia. V. Rézbánya (iuv.?).

Species 2. **Nesticus affinis** *nova species Kulczyński.*

Tab. I. fig. 6. epigyne.

Femina.

Cephalothorax laevis nitidus, lateribus fortiter rotundatis, antice sinuato angustatus, clypeo quam cephalothorax plus duplo angustiore; dorsum partis cephalicae leviter arcuatum, anteriora versus paullo descendens; impressiones cephalicae sat profundae, modice definitae, ut etiam fovea ordinaria, quae magna et profunda et paullo latior est quam longa. *Oculorum* series posterior paullulum procurva, oculi subaequales, medii rotundi, inter se spatio quam diameter paullo aut insigniter minore, a lateralibus circiter radio suo remoti; series anterior subrecta, oculorum mediorum diameter circiter radio lateralium aequalis, oculi laterales antici posticis paullulum maiores, mediorum intervallum fortasse $^3/_4$ diametri aequale, spatium, quo a lateralibus distant, paullulum minus; area oculorum mediorum postice latior quam longa et diametro oculi latior quam antice. *Clypeus* sub oculis mediis aeque fere longus atque area oculorum mediorum, modice declivis, ita, ut in cephalothorace directo desuper adspecto oculi medii antici a posticis et a clypei margine spatiis subaequalibus distare videantur. *Mandibulae* clypeo plus duplo longiores, margo anterior sulci unguicularis (ut in *N. cellulano*) non inermis sed dentibus duobus, parum inaequalibus, ad angulum mandibulae interiorem ornatus. *Maxillae* anteriora versus paullo inter se appropinquant, apicem parum oblique truncatae sunt, earum pars ultra labii apicem prominens labio longior; hoc insigniter latius quam longum, subrectangulum, angulis rotundatis. *Sternum*, punctis piligeris, quae pallulum elevata sunt, exceptis, laeve. *Pedes* IV. paullo longiores videntur quam II. (femora eorum saltem longiora sunt), breviores sunt quam I., III. caeteris breviores. *Abdomen* (exemplorum, quae ova probabiliter deposuerant) ovatum, sescuplo longius et paullulum humilius quam latum, antice acuminatum et apice breviter rotundatum, postice rotundatum. *Epigyne* magna, circiter $^3/_4$ sterni latitudine aequans, modice inaequalis; pars lateralis utraque tuber format obscure coloratum, humile, parum definitum, oblique positum: foras et retro directum, marginem epigynes posticum paene attingens; partes tuberum anteriores sulco transverso parum definito inter se coniunguntur; tuber utrumque lineâ impressâ, axi suae parallela, in tuberis parte interiore sitâ, ornatum videtur (?). Postice intus tuber impressione definitur profundiore, margini epigynes postico proximâ, postice margine hoc elevato bene definitâ; area tuberibus inclusa pallide colorata, multo latior quam longa, posteriora versus subito dilatata, margine postico maximam partem recto, apicibus solis procurvis; eius pars media leviter elevata est, partes laterales impressionibus supra commemoratis occupantur, margo posticus medius obtusus, in latere utroque in carinam modice acutam elevatus.

Cephalothorax cum palpis pedibus mandibulis maxillis labio sterno flavidus, colore rufo plus minusve suffusus; oculi antici medii nigri, caeteri pallidi cingulis nigris circumdati. Abdomen violaceo

cinereum, subter pallidius quam supra, supra mamillas maculâ pallidiore, parum definitâ ornatum. Epigyne flavida, tuberibus lateralibus maximam partem et margine postico areae mediae rufofuscis.

Cephalothorax 1·6—1·8, abdomen 2—2·5, tibia cum patella I. (exempli statura maiore) 4·3, II. 3·1, III. 2·0, IV. 3·0 mm. longa.

Mas ignotus.

Duo exempla huius speciei (quae fortasse varietas modo est *N. cellulani* pallide colorata) lecta sunt ad I. Selmeczbánya in fodina (250 m. prof.)

Species 3. **Nesticus fodinarum** *nova species Kulczyński.*

Tab. I, fig. 7 *a*: epigyne, *b*: pars tarsalis palpi maris a latere exteriore visa, *c*: processus laminae tarsalis desuper adspectus.

Femina.

Cephalothorax lateribus fortiter rotundatis, antice fortiter — sinuato — angustatus, fronte plus duplo angustiore quam cephalothorax (ca. 3·7); dorsum partis cephalicae subrectum; fovea ordinaria non latior quam longa. *Oculi* postici medii saepe leviter angulati (latere exteriore posteriore in angulum obtusum fracto); eorum intervallum diametro parum minus, non minus, aut paullulum maius, spatium, quo a lateralibus distant, radio paullo aut insigniter minus; oculorum series anterior paene recta aut paullulum recurva: marginibus inferioribus lineam paene rectam designantibus; diameter mediorum radio lateralium paullo maior; oculi medii inter se et a lateralibus spatiis aequalibus aut ab his paullo longius remoti; intervallum mediorum eorum diametro evidenter minus, intervalla lateralia diametro eâdem modo evidenter modo vix minora. Area oculorum mediorum postice multo latior quam longa (ca. 23:17) et plus quam diametro oculi latior quam antice. *Clypeus* sub oculis mediis ca. sescuplo longior quam area oculorum mediorum[1]), insigniter proiectus (parte sub oculis sita, brevi, excavatâ, inferiore-multo longiore-leviter convexâ), ita ut in cephalothorace directo desuper adspecto aeque paene longus atque area oculorum mediorum videatur. *Pedes* IV. perparum longiores quam II. *Abdomen* (ovis distentum) late ellipticum, circiter $^1/_7$—$^1/_4$ longius quam latum, altius quam latum, humilius aut non humilius quam longum, desuper visum antice et postice rotundatum. *Epigyne* mediocris, parum inaequalis, foveolis ornata duabus inter se multo longius quam a margine postico remotis, profundis, paullo transversis, a quibus initium capiunt sulci acuti, primo retro directi, tum intus curvati et in parietem epigynes superiorem (cum ventre contingentem) abeuntes; quibus sulcis ligula circumscribitur pallide colorata, duplo circiter latior quam longa, antice paullo coarctata (foveolis commemoratis), postice late — paullo sinuato — rotundata, utrimque impressione vadosâ diffusâ longitudinali ornata, parum inaequalis; partes epigynes laterales, cum lateribus ligulae mediae contingentes, rufo- aut nigro-fuscae, tubercula formant nitida, paullo obliqua, perparum definita, non altiora quam ligula media. Margo epigynes posticus arcum format latum, paullulum procurvum, inter ligulam et partem lateralem utramque paullulum sinuatum. — Caetera ut in *N. affini.*

Cephalothorax cum partibus oris et pedibus flavidus, colore rufo plus minusve suffusus; oculi antici medii nigri, caeteri pallidi, annulis nigris circumdati; pars cephalica lineis tribus obscuris, parum definitis, oculos cum foveâ ordinariâ coniungentibus ornata videtur, quae lineae tamen nil sunt nisi series pilorum longorum, obscure coloratorum. *Abdomen* flavido cinereum, modo concolor, modo maculis nigricantibus, plus minusve distinctis pictum: dorsum maculis 10—12 per paria dispositis ornatum, maculae paris 2-di et 3-tii caeteris plerumque maiores; maculae paris 3-tii in vittas obliquas in latera abdominis longe descendentes productae, cum quibus etiam apices laterales macularum paris 2-di producti saepe coniunguntur; laterum pars anterior etiam saepe vittâ obliquâ ornatur, quasi parte avulsâ macularum paris 1-mi; venter nonnunquam vittis duabus parallelis, parum distinctis, ornatur. Tota haec pictura insigniter varians.

Cephalothorax 2—2·2, abdomen 3·5—4·5, pedes I. (exempli cephalothorace 2·2 mm. longo) 19·5, II. 14·8, III. 11, IV. 15 mm. longi.

Mas parum differt a feminâ; impressiones cephalicae melius definitae, fovea ordinaria longitudinalis profunda, dorsum partis cephalicae maximam partem paene libratum, antice descendens, pedes IV. aeque longi atque II. *Palporum* pars femoralis subrecta, a basi apicem versus levissime dilatata, non evidenter incrassata; pars patellaris supra $1^1/_2$ longior quam lata, lateribus paene parallelis, supra prope apicem pilo gracili, duplo circiter longiore, quam pars ipsa crassa est, recto, ornata; pars tibialis supra ca. $1^1/_2$ longior quam pars patellaris, a basi apicem versus leviter et paene aequabiliter dilatata, crassitudine — basi, quae supra angustata est, exceptâ — ubique paene aequali, margine apicali interiore paullo producto et inaequabiliter rotundato, apicem versus supra

[1]) In exemplis, quae vidi, pars infima clypei membranacea et mollis est, certo igitur clypeus nonnunquam humilior et brevior, quam supra dicitur, invenietur.

et in lateribus pilis nonnullis aeque atque pilus patellaris longis aut longioribus, apice curvatis, ornata; pars tarsalis, a latere exteriore visa, processu, quo basi ornatur, incluso, aeque paene longa atque pars femoralis; lamina tarsalis desuper et a latere interiore adspecta latere interiore leviter sinuato: basim versus convexo, apicem versus excavato, apice rotundata, latere exteriore medium versus in lobum dilatato late rotundatum, a caeteris partibus sulco modice profundo, diffuso, longitudinali distinctum, basi autem processu ornato magno, retro et paullo foras directo, foras et denique subito anteriora versus curvato; processus pars basalis foras directa paullo brevior quam apicalis, desuper adspecta latitudine ubique aequali, supra modice convexa, in latere inferiore anteriore excavata, margine posteriore deflexo et medio in lobum dilatato anteriora versus fere directum, paullo longiorem quam latum, lateribus subparallelis, apice rotundato truncatum; pars processus anteriora versus directa basi aeque lata atque pars basalis, paullulum dilatata, paullo pone basim admodum subito angustata, margine superiore sive interiore in calcar longum, gracile, leviter sinuatum excurrenti, margine apicali partis latae denticulis acutis ca. 6 ornato. Rostrum circiter $^2/_7$ longitudinis laminae tarsalis propriae (processu basali excluso) occupat, margine acuto circumdatur. Bulbus genitalis insigniter inaequalis, limbo corneo cinctus, in latere exteriore antico dilatato, caeterum angusto, antice interrupto; embolus bulbo non procul a basi in lineâ mediâ innatus, niger, aculeum format longum, intus directum, anteriora versus curvatum, bulbi lateri interiori subparallelum, ab eo sat late distantem, in bulbi apice partibus aliis occultum; bulbi apex, in latere anteriore superiore pro receptione apicis emboli excavatus, valde inaequalis. — *Abdomen* ovatum, postice paullulum acuminatum, fere dimidio longius et paullulum altius quam latum.

Color maris, secundum perpauca exempla, quae vidi, similis atque feminarum pallide coloratarum (maculis nigris carentium); palpi colore pedum, partibus quibusdam laminae tarsalis (lobo externo et processu basali) et bulbi genitalis obscurius coloratis, fusco-rufis et nigris.

Cephalothorax 2·2—2·3 mm., abdomen 3—3·5, pedes I. (exempli cephalothorace 2·3 mm. longo) 19·3, II. 15·2, III. 11·7, IV. 15·2 mm. longi.

V. Rézbánya.

Species 4. **Nesticus puteorum** *nova species Kulczyński.*

Tab. I. fig. 8: epigyne.

Femina.

Cephalothorax laevis, lateribus fortiter rotundatis, antice breviter sinuato-angustatus, fronte plus duplo angustiore quam cephalothorax (ca 3:7). Dorsum partis cephalicae leviter et inaequabiliter — antice fortius — arcuatum, posterius sublibratum, anterius paullo descendens. Impressiones cephalicae sat profundae, modice definitae; fovea ordinaria profunda sed parum definita, oblonga. *Oculorum* series posterior paene recta, marginibus posterioribus lineam levissime recurvatam designantibus; oculi medii rotundi, lateralibus parum minores aut eis aequales, inter se paullo longius quam a lateralibus remoti, eorum intervallum diametro aequale aut parum minus, spatium, quo a lateralibus distant, diametro mediorum parum aut evidenter minus. Oculorum series anterior leviter procurva, marginibus inferioribus lineam procurvam, superioribus rectam aut levissime procurvam designantibus; oculi medii lateralibus, qui elliptici sunt, minores, diametro quam horum diameter minor non multo breviore, a lateralibus evidenter aut vix longius quam inter se remoti (intervallum medium radio mediorum evidenter minus, lateralia eo paullo maiora, aut omnia ei subaequalia). Area oculorum mediorum postice diametro oculi aut paullo plus latior quam antice, et insigniter latior quam longa. *Clypeus* paullo (fortasse $^1/_6$) longior quam area oculorum mediorum, insigniter proiectus, ita ut in cephalothorace desuper adspecto circiter dimidiâ diametro oculi postici solum brevior videatur quam haec area. *Mandibulae* clypeo parum plus duplo longiores, ut in *N. affini* armatae. (Pedum longitudo non nota). *Abdomen* desuper adspectum ovatum, postice leviter acuminatum, circiter $^1/_2$ longius et paullo altius quam latum. *Epigyne* mediocris, parum inaequalis, sulcis ornata duobus inter se circiter labii latitudine remotis, fere parallelis, paullulum arcuatis, in epigynes pariete postico intus curvatis, antice leviter dilatatis, ligulam includentibus latiorem quam longam, a basi posteriora versus paullulum dilatatam, apice late truncatam, angulis rotundatis; pars ligulae media posterior paullo elevata est; margo posticus ligulae cum marginibus partium lateralium in arcum latum confluit. Epigyne pallide colorata est, exceptis partibus, quae sulcis commemoratis in latere exteriore adiacent et vittas latiusculas longitudinales, leviter et paullo inaequabiliter incurvatas, rufo- et nigro-fuscas, formant.

Cephalothorax cum pedibus palpis partibus oris flavidus, colore rufo plus minusve suffusus; oculi antici medii nigri, caeteri pallidi, cingulis nigris cincti. *Abdomen* flavido-cinereum, modo non

maculatum, modo in dorso paribus macularum 4, prope laterum partem mediam autem vittâ obliquâ, nigricantibus, (magnitudine et formâ certo variantibus), diffusis, ornatum.

Cephalothorax 1·6—1·8, abdomen 2·6—3 mm. lg.

Mas ignotus.

Perpauca exempla feminina lecta sunt.

V. Nagyág.

Species 5. **Nesticus Hungaricus** *nova species Chyzer.*

Tab. I. fig. 9. epigyne.

Femina.

Cephalothorax laevis, lateribus fortiter rotundatis, antice subito sinuato angustatus, fronte aeque circiter atque $^2/_5$ cephalothoracis latâ. Impressiones cephalicae sat profundae, parum definitae; fovea ordinaria magna profunda, parum tamen definita, longior quam lata. *Oculorum* series posterior levissime procurva, marginibus posticis lineam rectam designantibus; oculi medii lateralibus paullulum minores, rotundati, inter se et a lateralibus spatiis subaequalibus (inter se paullulum longius) remoti, intervallum medium diametro oculi modo non, modo paullulum minus. Series oculorum anterior recta, oculorum mediorum diameter dimidiâ diametro maiori lateralium paullo longior; oculi spatiis paene aequalibus, aut medii inter se evidenter longius quam a lateralibus remoti; intervalla modo omnia diametro mediorum paullo minora, modo medium eâ paullulum maius, lateralia evidenter minora. Area oculorum mediorum postice totâ aut non totâ oculi diametro latior quam antice, et insigniter latior quam longa. *Clypeus* sub oculis mediis vix longior quam area horum oculorum, insigniter proiectus, in cephalothorace desuper adspecto insigniter tamen brevior quam area haec videtur. *Mandibulae* clypeo plus duplo longiores, ut in *N. affini* armatae. *Abdomen* desuper visum ovatum, postice paullulum acuminatum, sescuplo saltem longius et paullo altius quam latum. *Epigyne* sat magna, convexa, modice inaequalis, sulcis profundis duobus ornata, antice inter se paullo plus quam labii latitudine distantibus, posteriora versus inter se appropinquantibus, rectis aut leviter incurvatis, postice (in epigynes pariete postico) inter se spatio angusto disiunctis; ligula sulcis his inclusa subtriangularis, in epigyne a parte inferiore aut paullo a fronte adspectâ paullulum brevior videtur quam partes laterales convexae corneae, et margo posticus epigynes medio plus minusve excavatus.

Cephalothorax pedes palpi mandibulae maxillae pallidius et obscurius rufo-flavida; cephalothoracis margines laterales nigri, supra cephalothorax vittâ ornatur fuscâ aut nigricanti, inaequali, angustâ in parte thoracicâ, in parte cephalicâ posteriore dilatatâ, in anteriore plus minusve ita deletâ, ut restent lineae 3 (aut 4?) usque ad oculorum aream productae; ad oculos cephalothorax fusco reticulatus est; labium basi infuscatum, sternum fuscum; *pedes* annulis fuscis picti: valde obsoletis in femoribus (basi, prope medium?, prope apicem) et in metatarsis (pone basim et prope apicem), paullo melius distinctis in tibiarum basi et prope apicem. *Abdomen* cinereum aut fusco cinereum, nigro maculatum; dorsum paribus macularum 5 ornatur: maculae paris uniuscuiusque inter se plus minusve coniunctae aut confusae, anticae maculam formant oblongam, postice latiorem, 2-dae maculam transverse rhombicam, angulis lateralibus paullo productis, 3-tiae maculam huic non dissimilem, sed postice medium versus rotundatam, medio incisam; maculae hae 6 anteriores omnes inter se in vittam coniunctae sunt valde inaequalem; maculae paris 4-ti arcus sunt transverse positi, procurvi, inter se contingentes aut proximi saltem; maculae paris postremi vittas formant longitudinales, parum latas, inaequales, inter se late distantes, cum cingulo fusco, inaequali, sat lato, quo mamillae in lateribus et subter circumdantur, coniunctas. Abdominis latera circiter in quartâ parte et paullo pone medium vittis ornantur nigricantibus obliquis, quarum anterior minor est et parum definita; venter vittis longitudinalibus duabus latiusculis et sat late inter se distantibus pictus.

Cephal. 1·6—1·9, abdom. 2·7—2·9, tibia cum patellâ I. (exempli staturâ maiore) 4·7, II. 3·5, III. 2·5, IV. 3·6 mm. longa (femur paris IV. evidenter longius quam II.).

Mas ignotus.

Duo exempla feminina lecta sunt.

V. Petrozsény.

Genus 5. **Episinus** *Latreille 1809.*

Theridion Blackwall 1864. (pro parte). — Episinus Westring 1861. — Thorell 1869. — O. Herman 1879. — Cambridge 1879. — Simon 1881.

Feminae.

Epigyne foveâ ornatur paene semicirculari (postice truncatâ), marginibus lateralibus bene definitis, antico valde obtuso et saepe parum definito, in foeveam sensim descendenti; partem foveae posticam, plerumque magis quam antica profundam, impressiones formant duae transversae et transverse positae, non semper distinctae (Tab. I. fig. 10 a). Femora IV. rufo-flavida, parte apicali rufo-fuscâ, caeterum non annulata; femora I. et tibiae I. et IV. plerumque rufo-fusca; nonnunquam partes hae flavido-fuscae, femora I. pone medium annulo pallido parum definito, tibiae I. annulo lato, pallide flavido, prope medium ornatae, tibiarum IV. dimidium basale pallide flavidum. Cephal. ca. 1·5—1·7 mm. lg. **1. lugubris.**

— foveâ ornatur rotundatâ aut leviter transversâ, antice profundiore, maximam partem areolis duabus repletâ rotundatis, sulco longitudinali inter se distinctis, in parte exteriore posticâ impressis (Tab. I. fig. 11 a). Pedes pallide flavidi, annulis fusco-nigris irregularibus inaequalibus ornati, ex. gr. in tibiarum I. et IV. basi et apice; femora IV. praeter annulum apicalem sat latum, semiannulo in dorso paullo pone medium sito ornantur. Cephal. ca. 1·6—1·9 mm. lg. **2. truncatus.**

Mares.

Pedum pictura similis atque in feminis, in *Ep. truncato* minus distincta (saltem in exemplo unico, quod vidi).

Lamina tarsalis (quae latus interius partis tarsalis occupat) apice omnino rotundata (Tab. I. fig. 10 b). Bulbi apicem processus tres formant inter se et margini apicali laminae tarsalis paene paralleli, fere in transversum directi; eorum apices (in palpo porrecto) angulum apicalem superiorem bulbi occupant: apex processus antici — margini laminae tarsalis proximi — dentem format acutum, foras flexum (palpum porrectum a fronte adspicias!), apex processus postici in palpo porrecto desuper adspecto dentem acutum nigrum, anteriora versus directum formare videtur (Tab. I. fig. 10 c). Cephal. 1·3—1·7 mm. lg. **1. lugubris.**

Laminae tarsalis margo apicalis et margo superior (sive exterior) in angulum rectum, summo apice rotundatum coëunt (Tab. I. fig. 11 b). Bulbi structura eadem fere atque in priore, apices tamen processuum supra dictorum, antici et postici, in lamellas compressi sunt parvas, oblique positas, quarum anterior saltem, foras flexa, in palpo porrecto desuper et a parte posteriore adspecto non difficile conspicitur (Tab. I. fig. 11 c). Cephal. 1·7 mm. lg. (Sec. 1 exempl.) **2. truncatus.**

Species 1. **Episinus lugubris** *Simon 1873.*

Tab. I. fig. 10. *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri a latere interiore visa, *c:* eiusdem apex desuper et paullo a parte posteriore visus.

Episinus lugubris Simon 1881. Ar. Fr. — Episinus truncatus C. L. Koch 1845. Arachn. —? Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem.[1]) —? O. Herm. 1879.

Haec species apud nos multo frequentius occurrit quam *E. truncatus,* qui inprimis regiones meridiem versus sitas incolere videtur.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Szőllőske, Széphalom, Nagymihály, Mezőlaborcz, Homonna, Vinna, Beregszász, Suliguli, Bártfa, Torna, Körtvélyes, Alsó-Meczenzéf, Trencsén-Teplicz, Szulyó. II. Pozsony, Fertőpartja, Almádi, Simontornya. III. Sz.-Endre, Farkasd, Kalocsa. IV. Temesvár, Deliblát, Baziás, Veteráni barlangnál, Orsova, Herkulesfürdő. V. Szamosujvár. VI. Fiume. VII. Buccari, Bakarac, Orehovica, Draga gornja, Martinscizza, Crkvenica. VIII. Plitvica.

---

[1]) Sec. exempla benigne a Cel. T. Thorellio communicata.

Species 2. **Episinus truncatus** *Latreille 1809.*

Tab. I. fig. 11. *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri a latere interiore visa, *c:* eiusdem partis apex desuper et paullo a parte superiore adspectus.

Episinus truncatus Cambr. 1879. Sp. Dors. — Simon 1881. Ar. Fr. — Theridion angulatum Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit.

I. S.-A.-Ujhely, Beregszász, Bártfa, Forró. IV. Szászkabánya, Herkulesfürdő. VII. Orehovica, Buccari, Crkvenica.

Genus 6. **Euryopis** *Menge 1868.*

Thorell 1869—1870—73. (ad part.). — Cambridge 1879. (pro parte). — Simon 1881. — Theridium Westring 1861. (pro parte). — Theridion Blackwall 1864. (pro parte).

Feminae.

1. Pedes pallidi, distinctissime nigro annulati; abdomen nigrum albo maculatum, (raro concolor). 2
— pallidiores aut obscuriores, annulis nigris nullis; abdomen fuscum, flavido maculatum aut nigrum 3

2. Epigyne foveâ ornata profundâ, marginibus acutis circumdatâ, rotundatâ, ab epigastrii margine late remotâ (Tab. I. fig. 13). Abdomen limbo argenteo cinctum continuo, marginibus exterioribus parum inaequalibus, interioribus prope dorsi marginem anticum ramum intus directum emittentibus, posterius crenatis, postice in medio profunde inciso; dorsum praeterea paullulum ante medium pari macularum parvarum argentearum notatum; venter ante mamillas fasciâ argenteâ transversâ inaequali pictus. Pedum femora apice nigro, omnia subter basi semiannulo nigro, 6 anteriora etiam propre medium et prope apicem semiannulis nigris ornata; patellae et tibiae nigrae, illae prope basim maculâ indistinctâ pallidâ, hae basi aut prope basim annulo pallido ornatae; metatarsi et tarsi basi pallidi, caeterum nigri. Ceph. 0·7 mm lg. **2. laeta.**
— prope marginem posticum foveolis ornata duabus parvis, parum profundis, diffusis (Tab. I. fig. 15 a). Abdominis dorsum maculis albis 4 ornatum, duabus paullo pone medium sitis, maioribus, duabus prope marginem anticum sitis, parvis et inter se propioribus; venter niger. Pedum I. femora nigra, apice pallida, tibiae nigrae, basi pallidae, pedum II. femora et tibiae maximam partem nigra; patellae et tibiae III. lateribus nigris, eaedem partem pedum IV. lateribus apicem versus nigris; caeterae pedum partes pallidae. Cephal. ca. 0·8 mm. lg. (Sec. 1 exemplum Bonnense a Cel. Dre Bertkau mecum communicatum). Occurrit haec species, teste Cel. E. Simone, abdomine toto nigro aut maculis albis pone medium sitis et maculâ minore supra mamillas ornato. **4. argenteomaculata.**
Epigastrii pars posterior maior subplana, posterius leviter transverse striata, anterius cornea glabra nitida, antice arcu lato recurvato limitata, foveis caret; pars ante hanc aream sita foveam formare videtur vadosam, latiorem quam longam, reniformem (postice excisam[1]) (Tab. I. fig. 14). Abdomen supra paribus 7 punctorum et macularum parvarum argentearum et supra mamillas puncto uno pictum; praeterea abdomen paribus macularum duobus: in latere exteriore scutorum pulmonalium et in ventris dimidio posteriore ornatus. Cephal. ca. 1·0 mm. lg. **3. orsovensis.**

3. Epigyne ad ipsum marginem posticum foveâ ornatur profundâ, paullulum longiore quam latâ, antice rotundatâ, lateribus subparallelis, postice truncatâ (Tab. I. fig. 12 a). Abdomen concolor nigrum. Pedes (nostri exempli unici) pallidius et obscurius fusci et rufo-fusci (teste Cel. E. Simone nigri sunt plerumque, patellis praesertim anterioribus pallidioribus, pedum IV. trochanteribus et basi femorum flavido albis). Cephal. ca. 0·9 mm. lg. **1. acuminata.**
— prope marginem posticum foveâ ornata vadosâ, paullo oblongâ, antice fere apertâ, lateribus subparallelis, postice rotundatâ, margine postico melius quam laterales definito[2]) (Tab. I. fig. 16 a). Abdomen cinereo-fuscum, colore flavo suffusum, flavido maculatum. Cephal. ca. 1.2 mm. lg. **5. flavomaculata.**

Mares.

1. Lamina tarsalis *prope* angulum apicalem interiorem dente ornata anteriora versus et paullo deorsum directo, leviter curvato. Apex bulbi genitalis dente corneo, nigro, leviter contorto

[1]) Pars haec in exemplo unico, quod vidi, materiâ quâdam induratâ repleta est; certo coitus signum!
[2]) Etiam huius speciei fovea epigynes saepe materiâ quasi resinaceâ, induratâ repletur.

et curvato, apice acuto instructus, prope eum in latere exteriore autem dentibus duobus minoribus et pallidioribus ornatus (Tab. I fig. 16b). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. (Sec. 1 exempl. in Camtschadalia lectum). **5. flavomaculata.**

— — apice rotundata aut truncata, angulo apicali interiore plus minusve prominenti, ad eum nullo dente instructa. 2

2. Lamina tarsalis apice rotundata. Bulbus genitalis apice processu minuto, deorsum directo foras curvato, instructus (Tab. I fig. 15b). Pedum pictura similis atque in feminâ (paullo mutabilis). Abdomen nigrum, dorso punctis duobus albis prope medium ornatum, aut concolor. Cephal. ca. 6·7 mm. lg. **4. argenteomaculata.**

— — apice truncata, angulo interiore paullo prominenti. Bulbus apice intus processu instructus longo (aeque circiter longo atque $^3/_4$ bulbi), basi cum margine laminae tarsalis contingenti, deorsum directo, leviter foras curvato, longe attenuato, acuto; infra autem apex bulbi processu ornatur alio, priore multo breviore, ei subparallelo, obtuso (Tab. I fig. 12b.). Abdomen nigrum. Pedes fusci, tibiis et patellis pedum 6 anteriorum pallidioribus, pedum IV. trochanteribus pallide flavidis, tibiis subter et metatarsis et tarsis maximam partem nigricantibus (teste Cel. E. Simone plerumque nigri, trochanteribus IV pallidis). Cephal ca. 1.0 mm. lg. (Sec. 1 exemplum). **1. acuminata.**

Eu. laeta. Lamina tarsalis apice paullo emarginata, angulis prominentibus (dente prope angulum interiorem sito caret); apec bulbi genitalis spinâ ornatur porrectâ, contortâ, ultra marginem laminae tarsalis prominenti. Abdomen nigrum, dorso punctis argenteis 2 aut 4 ornato. Pedes nigro-fusci, exceptâ basi femorum anticorum et dimidio basali femorum posteriorum, quae flava sunt. Corpus 2·5 mm. longum (Sec. Com. a Keyserling).

Mas *Eur. orsovensis* n. sp. ignotus.

Species 1. **Euryopis acuminata** *(Lucas) 1849 „Theridium".*

Tab. I fig. 12 *a*: epigyne, *b*: maris pars tarsalis palpi sinistri a latere exteriore et paullo a fronte visa.

Euryopis acuminata Simon 1881. Ar. Fr.

VI. Fiume. VII. Costrena St. Lucia (juv.).

Species 2. **Euryopis laeta** *(Westring) 1861 „Theridium".*[1]

Tab. I, fig. 13: epigyne.

Westr. 1861. Ar. Suec. — Theridium argentatum Keyserl. 1863. Beschreib. neuer Spinnen. — Euryopis laeta Thorell 1870. Rem.

Speciei huius pulcherrimae exempla duo feminea legit Dr. Géza Horváth ad III. Budapest (Rákos, 27. VII. 1887).

Species 3. **Euryopis orsovensis** *nova species Kulczyński.*

Tab. I, fig. 14: epigyne.

Femina.

Cephalothorax subtilissime reticulatus, nitidus, lateribus rotundatis, antice fortiter angustatus, non sinuatus, areâ oculorum paullulum plus duplo angustiore quam cephalothorax, postice profunde et late in sinum rotundatum excisus. Dorsum a latere adspectum in parte cephalicâ et in thoracicâ leviter convexum videtur, inter eas leviter excavatum; oculi postici medii paullo demissius siti quam capitis pars summa; pars cephalica alta, in lateribus tamen nullis impressionibus evidentioribus a parte thoracica distincta; fovea ordinaria vadosa diffusa, paullo oblonga. *Oculorum* series posterior recurvata, puncta media mediorum cum marginibus anticis lateralium lineam subrectam designant; oculi subaequales et spatiis paene aequalibus (medii a lateralibus spatiis paullulum minoribus quam inter se), diametro paullo minoribus remoti, medii leviter transversi. Series oculorum anterior procurva: puncta media mediorum cum marginibus superioribus lateralium lineam paullulum sursum curvatam

---

[1]) *Theridium sexalbomaculatum* Lucas 1849 nomen est huius speciei (teste Cel. E. Simone, Exploration scientifique de la Tunisie), caeteris antiquius quidem, sed „tali formâ, ut retineri non debeat" (T. Thorell: Descriptions of several European and North-African Spiders, pag. 64).

designant; oculi subaequales, medii inter se circiter diametro suâ, a lateralibus ne radio quidem remoti. Area oculorum mediorum paene rectangula, paullo latior quam longa; *clypeus* directus, leviter in longitudinem excavatus, sub oculis mediis sescuplo altior quam eorum area longa. *Mandibulae* aeque longae atque clypeus. *Maxillae* fortiter in labium inclinatae, *labium* valde breve, multo latius quam longum. *Sternum* (punctis piligeris exceptis) laeve. *Pedum* I tibia cum patellâ aeque paene longa atque tibia cum dimidiâ patellâ IV. *Abdomen* desuper adspectum paene ellipticum, postice leviter acuminatum, mamillis prominentibus exclusis sescuplo longius quam latum, paullo depressum: paullulum latius quam altum. (*Epigynes* descriptionem vide supra in tabulâ synopticâ).

Cephalothorax fuscus, antice et latera versus obscurior: nigricans, postice medio pallidior; *mandibulae* fuscae, vittâ nigricanti diffusâ, parum definitâ, sat magnâ in dorso ornatae; *maxillae* pallide fuscae; *labium* nigrum, *sternum* fusco-nigrum. *Palpi* pallide fusci, parte femorali subter et in latere exteriore, parte tibiali in latere utroque nigro-fuscis. *Pedes* flavidi et rufo-flavidi, fusco-nigro maculati: coxae subter flavidae, anteriores colore fusco paullo suffusae, omnes apice nigrae et anteriores saltem ad apicem maculâ nigricanti diffusâ ornatae; trochanteres flavidi; femora flavida, colore fusco-nigro abunde picta: femora I secundum totam fere longitudinem utrimque vittâ nigro-fuscâ ornata, sequentia basi gradatim latius pallida, caeterum nigricantia (color pallidus in femoribus II circiter $^1/_4$, in IV circiter $^1/_2$ occupat); patellae et tibiae flavido-rufae, metatarsi I flavidi, caeteri rufo-flavidi, apice flavidi, tarsi flavidi; patellae apicem versus nigro-fuscae, latius in pedibus posterioribus, tibiae annulo apicali lato fusco-nigro et basi in latere posteriore inferiore maculâ parvâ nigro-fuscâ ornatae, metatarsi (III et) IV pone medium annulo fusco obsoleto picti et apice infuscati. *Abdomen* supra nigrum, subter paullo pallidius, maculis et punctis albo-flavis pictum: dorsum prope medium punctis ornatur quatuor inaequalibus (posterioribus minoribus), in trapezium antice paullulum latius, latius quam longum dispositis, ad marginem anticum maculis paullo maioribus duabus, inter se paullo latius quam puncta ea remotis, in latere utroque fere in medio maculâ maiore triangulâ, paullo pone eas puncto maiusculo, inter puncta haec et mamillas maculâ maiori obliquâ, supra mamillas denique puncto parvo pictum; subter abdomen pictum est prope latus exterius scutorum pulmonalium maculâ oblongâ, antice latiore, et in ventre pari macularum rotundatarum, inter se spatio minore quam quod a mamillis occupatur remotis et mamillis paullo propiorum quam epigastrii margini.

Cephalothorax 1·05 mm., abdomen 2·6, femur I 0·91, tibia cum patellâ 1·04, metatarsus cum tarso 1·17, partes eaedem paris II: 0·91, 1·04, 1·17, paris III: 0·94, 1·04, 1·20, paris IV: 1·10, 1·36, 1·49 longae.

Mas ignotus.

Unicum exemplum lectum est ad IV. Orsovam in monte Allion 28. VI. 89.

Species 4. **Euryopis argenteomaculata** *Simon 1879.*

Tab. I fig. 15 *a:* epigyne, *b:* apex partis tarsalis palpi dextri maris a fronte visus.

Simon 1881 Ar. Fr.

III. Budapest (Sashegy, 1. V. 889 unicus ♂).

Species 5. **Euryopis flavomaculata** *(C. L. Koch) 1836. Arachn. „Micryphantes".*

Tab. I fig. 16, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri.

Theridium flavomaculatum Westr. 1861. Ar. Suec. — Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Euryopis flavomaculata Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Simon 1881. Ar. Fr.

I. Tolcsva, Szerencs (22, V. ♀), Lelesz, Czéke, Bánszka, Torna, Körtvélyes. II. Sopron. IV. Zlaticza. VIII. Podsused, Velebit (?, juv.).

Genus 7. **Lasaeola** *Simon 1881.*

Theridium Westring 1861 (pro parte). — Thorell 1869, 1870—73 (ad partem). — O. Herman 1879 (pro parte). — Theridion Blackwall 1864 (pro parte). — Cambridge 1881 (pro parte). — Steatoda Cambridge 1879 (pro parte). — Euryopis Thor. 1870—73 (ad part.). — Cambridge 1879—1881 (pro parte).

Feminae.

1. Cephalothorax altissimus, dorsum eius a latere adspectum, a margine postico lineâ subrectâ (paullulum excavatâ) subito adscendens, paullo ante mediam cephalothoracis longitudinem in angulum recto non multo maiorem (apice rotundatum) fractum videtur, inde oculos

versus non parum descendit, ita ut oculorum mediorum posticorum partes summae insigniter demissius sitae evadant quam dorsi pars summa. Oculi postici medii inter se spatio paullo minore quam a lateralibus remoti. Cephalothorax flavido-fuscus, marginibus et maculâ in occipite sitâ, cum oculorum areâ lineis tribus coniunctâ, nigricantibus. Pedes et palpi flavido-rufi, illorum coxae flavidae, summo margine nigricanti, pedum anteriorum femora et tibiae summo margine apicali plus minusve evidenter infuscato. Abdomen nigrum. Epigyne ad ipsum marginem posticum foveolâ ornatur transversâ, margine antico paullo elevato, acuto, insigniter supra posticum prominenti; quae fovea difficilius conspicitur; margo eius anticus tuberculum format parvum, paullo transversum, nitidum (Tab. I fig. 23.). Cephal. ca. 0·8, cum abdomine ca 2—$2^1/_2$ mm. lg. **10. convexa.**

— modice aut parum altus; dorsum eius a margine postico usque ad oculos posticos arcu parum inaequali adscendit, aut in angulum valde obtusum, apice rotundatum, fractum est; oculorum posticorum mediorum partes summae non aut vix demissius sitae, quam dorsi pars summa. 2

2. Epigyne foveis sat magnis tribus ornata, spatium occupantibus aeque latum atque ambae mamillae infimae simul sumptae; fovea media oblonga, duplâ suâ latitudine parum brevior, antice rotundata, a medio fere posteriora versus leviter angustata, postice aperta, caeterum margine acuto et elevato circumdata; postice margines subito foras fracti et denique anteriora versus curvati foveas laterales postice limitant, que multo latiores sunt quam fovea media, postice profundae, antice autem late apertae (Tab. I fig. 19.). Oculi postici medii a lateralibus multo longius quam inter se remoti. Pedes fuliginei, femoribus tibiis metatarsis basi plus minusve late albido-testaceis, patellis et tarsis albido-testaceis, apice plus minusve infuscatis. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. (Sec. exemplum typicum Cel. T. Thorelli). **6. torva.**

— foveâ nullâ evidentiori aut foveâ unâ duabusve ornata. 3

3. Oculi postici medii a lateralibus duplo circiter longius quam inter se remoti; cephalothorax fuscus aut niger, abdomen nigricans, palpi et pedes maximam partem obscure colorati . 4

— — — a lateralibus non evidenter longius quam inter se remoti; rarius ab eis longius distant, palpi et pedes tum maximam partem aut toti dilute colorati, rufo-flavidi aut flavido-rufi sunt. 5

4. Pedum obscurius aut pallidius fuscorum aut nigricantium (apicibus paullo pallidioribus) femora omnia maximam partem pallide colorata, rufo-flavida. Dorsum cephalothoracis (quem a latere, marginibus lateralibus libratis, adspicias) pars anterior paullo supra oculos posticos medios elevata. Epigynes foveola minuta, difficile conspicitur; eius margo anticus tuberculum format, saepissime evidentissimum, rotundatum, nitidum. Cephal. ca. 0·8, cum. abdomine ca. $2^1/_4$—$3^1/_4$ mm. lg. **2. braccata.**

Pedes fusco-nigri, femorum IV. dimidio basali et tibiarum IV. basi flavido-rufis aut albidis. Dorsum cephalothoracis a margine postico usque ad oculos posticos medios arcu modice inaequali adscendens. Epigyne postice foveolâ ornatur parvâ, forma varianti (transversâ aut rimiformi), margine antico tuberculum distinctum saepissime non formanti. Cephal. ca 1·2, cum abdomine ca. $2^1/_2$—$3^1/_4$ mm. lg. **1. tristis.**

5. Epigynes pars antica foveolâ ornatur modice profundâ (que nonnunquam materiâ quadam rufâ repletur), antice margine acuto limitata, postice in sulcum latum diffusum longitudinalem, plus minusve distinctum, abeunti (Tab. I fig. 21). Abdominis dorsum flavido-cinereum picturâ e lineolis fuscis compositâ ornatum. Cephalothorax et pedes maximam partem flavido-rufi, tibiae I. II. IV. apicibus infuscatis. Cephal. ca. 0·8, cum abdomine ca. 2—$2^1/_2$ mm. lg. **8. nigroreticulata.**

Epigynes fovea, si adest, prope marginem posticum sita. Abdomen fuscum aut nigrum, picturâ nullâ, aut punctis nonnullis flavido-cinereis adspersum. 6

6. Oculi postici medii a lateralibus saltem non longius quam inter se remoti. Tibiae IV. basi pallidae, apicem versus obscurius coloratae. 7

— — — a lateralibus evidenter longius quam inter se remoti. Tibiae IV. pallidae, concolores, aut basi annulo incompleto fusco ornatae. 9

7. Cephalothorax, sternum, palpi nigra. Epigyne foveâ in lineâ mediâ sitâ caret, caeterum sculptura perparum definita et non parum varianti (Tab. I fig. 22). Cephal. ca. 0·7, cum abdomine ca. $1^4/_5$—$2^1/_4$ mm. lg. **9. nigrina.**

— sternum, palpi flavido-rufa, saepe colore fusco suffusa. Epigyne prope marginem posticum foveâ mediâ (saltem in *L. inornata* profundâ et antice margine acuto, non elevato tamen, limitatâ) ornatur. 8

8. Dorsum cephalothoracis a margine postico usque ad oculos medios posticos arcu parum

inaequali adscendens. Pedum IV. patellae non obscurius coloratae quam tibiarum basis. Cephal. ca. 0·8, cum abdomine ca. $2^1/_4$ mm. lg. **5. inornata.**
— — angulatum, pars eius pone oculos sita sublibrata. Pedum IV. patellae paullo obscuriores quam basis tibiarum (an semper?). Oculi postici maiores quam in priore. Cephal. 1·0, cum abdomine 2·5 mm. lg. (teste A. Menge[1]). **7. prona.**

9. Cephalothorax obscure fuscus, pedes rufo-flavidi, tibiae IV. basi plus minusve distincte colore fusco pictae. Epigyne non procul a margine postico foveolâ ornata parvâ, rotundatâ, vadosâ, bene tamen definitâ, quae saepe (post coitum?) lamellâ repletur pellucidâ (Tab. I fig. 17a). Ceph. ca. 0·85, cum abdomine $2—2^1/_2$ mm. lg. **4. croatica.**
— flavo-rufus, colore fusco suffusus; pedes rufo-flavidi, basis tibiarum IV. non infuscata. Epigyne postice tuberculo minuto nitido instructa. Ceph. ca. 0·9, cum abd. $2—2^1/_4$ mm. lg. (Sec. exempla austriaca). **3. erythropus?**

Mares.

1. Dorsum cephalothoracis pone oculos posteriora versus usque fere ad mediam cephalothoracis longitudinem adscendens; pars haec cum parte posteriore valde praeruptâ angulum manifestum, recto non multo maiorem, format. Cephalothorax reticulatus parum nitens; sternum nitidum. Palporum pars tarsalis femoribus I. multo latior. Cephal. ca. 0·7, cum abdomine ca. $1^1/_2—1^3/_4$ mm. lg. **10. convexa.**
— — ab oculis posteriora versus descendens (nonnunquam parte ad oculos ipsos sitâ, brevissimâ, quae sublibrata est, exceptâ). 2

2. Oculi postici medii a lateralibus duplo circiter longius quam inter se remoti. Cephalothorax fuscus aut niger, pedes maximam partem obscure colorati. 3
— — — a lateralibus plerumque non aut parum longius quam inter se remoti; si ab eis insigniter longius quam inter se distant, pedes pallide colorati sunt, flavidi aut rufo-flavidi. 4

3. Pedum sex anteriorum femora nigricantia, femorum IV. pars basalis multo pallidior, albida aut rufo-flavida. Cephal. ca. 0·85, cum abd. ca. 2 mm. lg. **1. tristis.**
Pedum omnium femora dilute colorata, albida aut rufo-flavida, apicem versus infuscata. Cephal. ca. 0·7, cum abd. ca. $1^1/_2—1^3/_4$ mm. lg. **2. braccata.**

4. Pedes toti fere rufo-flavidi, tibiae IV. aut totae rufo-flavidae aut basi infuscatae. 5
— plus minusve abunde colore fusco aut nigro picti, tibiae IV. rufo-flavidae in dimidio basali, fuscae in apicali, aut nigricantes basi pallidae. 6

5. Cephalothorax supra flavido-rufus, colore fusco paullo suffusus, abdomine multo pallidior; tibiae IV. concolores. Corpus ca. 2 mm. lg. **3. erythropus?**
— fuscus, colore nigricanti pictus, abdomine non evidenter pallidior; tibiae IV. basi annulo fusco ornatae (an semper?). Corp. ca. $1^1/_2$ mm. lg. (Sec. 1 exemplum). **4. croatica.**

6. Palpi toti nigricantes. Cephalothorax nigricans. Pedum sex anteriorum femora maximam partem, femora IV parte basali exceptâ nigricantia, patellae omnes basi pallidae, apicem versus nigricantes, tibiae nigricantes, tibiae IV. basi pallidae (metatarsi colore variare videntur), tarsi pallidi. Cephal. 0·7, cum abd. ca. $1^3/_4$ mm. lg. **9. nigrina.**
Palporum partes femoralis et patellaris rufo aut fusco-flavidae, tibiarum IV. dimidium basale pallidum, apicale fuscum. 7

7. Palporum pars tibialis campanulata, in utroque latere paene aequabiliter convexa (Tab. I fig. 18). Oculi postici medii magni, circiter radio inter se remoti. Cephal. 0·8, cum abd. ca. $1^3/_4$ mm. lg. **5. inornata.**
— — — latere interiore convexo, latere exteriore angulum rectum fere formanti. (Tab. I fig. 20). Oculi postici parvi, medii circiter diametro suâ remoti. Cephal. 0·8, cum. abd. $1^3/_4$ mm. lg. **7. prona.**

Mares **Lasaeolae torvae** (Thor.) et **L. nigroreticulatae** (Sim.) ignoti.

Species 1. **Lasaeola tristis** *(Hahn) 1831. Arachn. „Theridion".*

Theridium triste C. L. Koch 1841. Arachn. — Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870—73. Rem. — O. Herm. 1879. — Theridion triste Cambr. 1881. Sp. Dors. — Lasaeola tristis Simon 1881. Ar. Fr.

I. Homonna (?, juv.), Regete-Ruszka, Bocskó, Bártfa. III. Budapest (kamara erdő). VIII. Velebit.

---

[1]) Feminam adultam *L. pronae* non vidi.

Species 2. **Lasaeola braccata** *(C. L. Koch) 1841. Arachn. „Theridium".*

Tab. I fig. 43: feminae unguiculus palpi dextri a latere interiore visus.

Lasaeola braccata Simon 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Tolcsva, Erdőbénye, Monok (22. VII. ♀), Tokaj (30. V. ♂), Széphalom, Kis-Azar, Beregszász, Szepsi, Körtvélyes, Bártfa, Salgó. II. Felcsúth. III. Budapest, Kalocsa. IV. Báziás, Szászkabánya, Szvinyicza, Drenkova, Plavisevicza, Orsova (exemplum pedibus nigris), Herkulesfürdő, Klopódia, Rékás. V. Bánfi-Hunyad. VII. Buccari. VIII. Plitvicza, Diakovár.

Species 3. **Lasaeola erythropus** *Simon 1881. Ar. Fr.?*

Duo exempla, masculina, *probabiliter* huius speciei, lecta sunt: I. S.-A.-Ujhely. IV. Báziás.

Species 4. **Lasaeola Croatica** *nova species Chyzer.*

Tab. I, fig. 17 *a:* epigyne, *b:* maris palpus dexter.

Femina.

Cephalothorax subtiliter — latera versus fortius quam supra — reticulatus, sat fortiter nitens, lateribus sat fortiter rotundatis, antice angustatus, non evidenter sinuatus; oculorum area duplo angustior quam cephalothorax; impressiones cephalicae valde vadosae et perparum definitae, fovea ordinaria insigniter pone medium sita, modice profunda, rotundata, parum definita; impressiones radiantes thoracicae latae, diffusae, parum profundae. Dorsum cephalothoracis a margine postico usque ad oculos paene aequabiliter et sat fortiter arcuatum, pars eius summa vix altior quam puncta summa oculorum mediorum posticorum. *Oculorum* series posterior levissime recurvata, oculi subaequales, medii a lateralibus circiter diametro suâ, inter se spatio paullo minore remoti. Oculi anteriores seriem insigniter deorsum curvatam formant, medii (qui, nigri et in areâ nigrâ siti, difficilius observantur) lateralibus paullo maiores esse, inter se diametro suâ distare, lateralibus valde approximati videntur. Area oculorum mediorum antice non totâ diametro oculi latior quam postice, antice paullo latior, postice paullo angustior quam longa. *Clypeus* sub oculis mediis altior quam area oculorum mediorum longa, sub oculis profunde impressus, inferius subrectus et insigniter proclivis, ita ut in cephalothorace desuper adspecto oculi antici medii a suo margine aeque longe saltem atque ab oculis mediis posticis distare videantur. *Mandibulae* clypeo breviores. *Maxillae* fortiter in labium inclinatae, hoc subtriangulare, paullo latius quam longum. *Sternum* subtilissime reticulatum, nitidum. *Palporum* pars patellaris fortiter convexa, tibialis crassa cylindracea, tarsalis paullulum brevior quam patellaris cum tibiali, a basi apicem versus longe attenuata, elongato conica; unguiculi formâ insolitâ.[1]) Tibia cum patella *pedum* IV. aeque saltem longa atque tibia cum $^3/_4$ patellae I. *Abdomen* late ovatum, paullulum ante medium latissimum, parum longius quam latum, paullo latius quam altum, in aliis exemplis (ovis distentum?) multo maius, in lateribus convexum, medio secundum totam longitudinem impressum, desuper visum subrotundum aut antice et postice truncatum angulis late rotundatis, insigniter depressum (saltem $^1/_3$ latius quam altum). *Mamillae* ultra apicem abdominis desuper adspecti non aut parum prominent. *Epigyne* foveolâ ornatur minutâ rotundatâ (paullulum transversâ), optime definitâ, a margine postico circiter diametro suâ remotâ, saepe lamellâ flavidâ pellucidâ repletâ (quae facile removetur. — Coitus signum?).

Cephalothorax fusco-niger, areâ oculorum et marginibus lateralibus nigris; mandibulae et maxillae paullo pallidiores, fuscae, sternum et labium fusco nigra; palpi flavidi, pedes flavo-rufi, summo apice tibiarum (praesertim I et IV) in lateribus (et subter) nigro, tibiis IV basi annulo parum lato, pallidius aut obscurius fusco, supra plus minus interrupto, ornatis. *Abdomen* nigrum. Cephal. 0·9, abdom. 1·5—2·0, tibia cum patella I 1·1, II 0·8, III 0·65, IV 1·0 mm. lg.

Mas multo minor quam femina (ut ex. gr. in *L. tristi* aut *braccata),* dorso cephalothoracis fortius et inaequabiliter convexo, ab oculis posteriora versus primo sublibrato (paullulum descendenti), tum cito descendenti: declivitate posticâ longiore, quam pars sublibrata, cum eâ in angulum valde latum et late rotundatum coëunti; oculi medii postici partem cephalothoracis summam formant.

---

[1]) Unguiculus palporum similis est atque ex. gr. in *Lasaeola braccata,* sed brevior, dentibus paullo paucioribus ornatus, minus excavatus, fere *horizontalis,* margine *interiore* et apicali dentato. *Las. braccatae* unguiculus valde latus est, in longitudinem et in transversum in latere interiore excavatus, margine *superiore* (intus flexo) et apicali dentibus ca. 20 inter se approximatis ornatus (Conf. fig. 43 in Tab. I.).

Impressiones radiantes partis thoracicae indistinctae. *Oculorum* series posterior sat fortiter recurvata (margines postici mediorum cum punctis mediis lateralium lineam subrectam designant), oculi medii a lateralibus circiter diametro, inter se spatio quam radius non multo maiore remoti. Oculi antici medii lateralibus insigniter maiores, inter se spatio quam diameter minore distant. *Clypeus* ca. $1^1/_2$ altior quam area oculorum mediorum et quam mandibulae longae sunt, supra profundius impressus, in cephalothorace desuper adspecto ultra oculos anticos medios non prominet. *Sternum* admodum subtiliter reticulatum, paene laeve. Tibia cum patella *pedum* IV. aeque circiter longa atque tibia cum dimidiâ patellâ I. *Palpi* breves; pars femoralis subcylindrata, patellaris fortiter convexa, tibialis eâ parum brevior, basi, quae angustata et quam pars patellaris paullo angustior est, exceptâ, parte hac paullo latior, in latere exteriore paullo magis inaequabiliter (angulato) dilatata quam in interiore, apice supra paene transverse truncata et parti tarsali arcte adpressa; pars tarsalis aeque longa atque femoralis, paullo longior quam patellaris cum tibiali, parva non multo latior quam pars tibialis, parte patellari ca. $1^1/_2$ latior, latitudine suâ plus $1^1/_2$ longior, apicem versus longe et in latere exteriore paullo fortius quam in interiore angustata; bulbus genitalis parum prominens, simplex. Abdomen desuper visum paene ellipticum, mamillis prominentibus, ca. $1^1/_2$ longius et paullo humilius quam latum.

Color (exempli, quod pellem nuper exuerat) similis atque feminae, pedes et palpi pallide flavidi, illi in basi tibiarum IV. annulo nigricanti ornati, caeterum concolores.

Cephal. 0·6, abdom. 1·1, femur I. 0·7, tibia cum patella 0·75, metatarsus 0·45, tarsus 0·35, partes pedum II: 0·55, 0·6, 0·35, 0·35, III: 0·45, 0·5, 0.3, 0·3, IV: 0·65, 0·65, 0·45, 0·3 mm. longae.

VII. Buccari, Crkvenica.

Species 5. **Lasaeola inornata** *(Cambr.) 1861. „Theridion".*
Descript. of ten new Species etc. of Spiders.

Tab. I fig. 18: maris partes tibialis et tarsalis palpi sinistri desuper visae.

Theridium inornatum Bl. 1864. Sp. Gr. Br. — Euryopis inornata Thor. 1873. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Széphalom (23. IV. 89 juv. ♂), Szinnaikő (14. VI. 89 ♀), Mezőlaborcz (?, juv.), Bártfa. V. Lotriora-völgy. VII. Costrena St. Lucia, Buccari, Crkvenica, St. Jelena (?, juv.), Zeng.

Species 6. **Lasaeola torva** *(Thorell) 1875. „Steatoda".*
Descriptions of several European and North-African Spiders.

Tab. I, fig. 19: epigyne.

Abest haec species in collectione nostra; in numerum aranearum Hungaricarum eam auctore L. Beckerio recipimus, qui nobis scripsit se exemplum *L. torvae* in Hungariâ lectum possidere.

Species 7. **Lasaeola prona** *(Menge) 1868. „Pachydactylus".*
Preussische Spinnen.

Tab. I, fig. 20: maris partes tibialis et tarsalis palpi sinistri desuper visae.

Euryopis prona Thor. 1873. Rem. — Cambr. 1881. Sp. Dors. — Lasaeola prona Sim. 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely (?, juv.), Szomotor, Nagy-Tárkány, Beregszász (?, juv.).

Species 8. **Lasaeola nigroreticulata** *(Simon) 1879. „Euryopis".*

Tab. I, fig. 21: epigyne.

Lasaeola nigroreticulata Simon 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely ♀. V. Nagy-Szeben (juv.). VIII. Diakovár ♀.

Species 9. **Lasaeola nigrina** *Simon 1881. Ar. Fr.*

Tab. I, fig. 22: epigyne.

I. Beregszász. V. Tasnád. VII. Martinscizza, Draga garcina (10. VIII. 84. ♂), Crkvenica. VIII. Plitvica.

Species 10. **Lasaeola convexa** *(Blackwall) 1870. „Theridion".*
A List of Spiders captured by Professor E. Perceval Wright, M. D., in the province of Lucca, in Tuscany....

Tab. I, fig. 23: epigyne.

? Steatoda convexa Thor. 1875. Descript. — Lasaeola convexa Simon 1881. Ar. Fr.

IV. Szvinyicza. VII. Costrena St. Lucia, Meja (14. VIII. 889 ♂♀), Buccari (IV. 1890. ♂), Martinscizza, San Cosmo, St. Jelena (7. VII. 91.). Crkvenica, Novi, Zeng.

Genus 8. **Dipoena** *Thorell 1869.*

O. Herman 1879. — Simon 1881. — Cambridge 1881.

D. melanogaster. Cephalothorax cum sterno nigro fuscus. Abdominis dorsum albidum, pallide fusco reticulatum et plus minusve abunde maculatum, in universum fusco-cinereum aut fuscum, margines versus pallidius, punctis et maculis parvis nigris ornatum, in series transversas recurvatas dispositis; paries anticus abdominis niger, latera dorso plus minus pallidiora, in dimidio anteriori arcu nigro crasso inaequali, deorsum curvato, ornata; venter nigricans, prope mamillas pari macularum albarum notatus. Pedes pallidi, fusco aut nigro annulati et maculati. Abdomen antice plus minusve evidenter emarginatum. Epigyne foveâ ornatur paullo angustiore quam pedum coxae, aeque circiter latâ atque longâ, antice rotundatâ, lateribus rectis et fere parallelis, postice paene recte truncatâ et subapertâ. Maris palpi parte patellari paullo longiore quam latâ, parte tibiali eâ supra breviore, in latere exteriore, ubi in squamam parti tarsali adpressam dilatata est, paullo longiore; pars tarsalis circiter sescuplo longior quam pars patellaris cum tibiali, ovata; bulbus genitalis paullo ante medium spinâ ornatus gracili, foras et anteriora versus directâ, incurvatâ, quae etiam in bulbo a latere viso conspicitur; caeterum processibus prominentibus caret bulbus. Cephal. feminae ca. 1·1, maris 1·0 mm. lg.

Species 1. **Dipoena melanogaster** *(C. L. Koch) 1837. „Atea".*

Atea melanogaster C. L. K. Koch 1845. Arachn. — Dipoena melanogaster Thor. 1873. Rem. — O. Herm. 1879. — Simon 1887. Ar. Fr. — Cambr. 1881. Sp. Dors.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Szőllőske, Széphalom, Őrmező, Homonna, Szinna, Orosz-Ruszka, Regete-Ruszka, Szepsi, Körtvélyes, Szulyó, Kőkút, Mátra-Kékes. II. Felcsúth, Várpalota. III. Budapest, Kalocsa. IV. Baziás, Plavisevicza, Orsova, Herkulesfürdő. VII. Martinscizza. VIII. Velebit, Vrdnik, Diakovár.

Genus 9. **Theridium** *(Walckenaër) 1805.*

Westring 1861. (pro parte). — Thorell 1869. (pro parte). — O. Herman 1879. (pro parte). — Theridion Blackwall 1864. (pro parte). — Cambridge 1879. — Simon 1881. — Phyllonethis Thorell 1869. — O. Herman 1879. — Cambr. 1879. — Euryopis Cambr. 1884. (pro parte).

Feminae (inclusis feminis **Teutanarum**).

1. Maxillarum pars ultra labii apicem prominens labio multo brevior. Labium triangulare. Sternum sat dense impresso punctatum. Epigyne prope marginem posticum foveâ ornata mediocri, transversâ, antice apertâ, postice margine elevato et in pariete postico excavato limitatâ. Cephal. ca. 2—2½ mm. lg. **3. Teutana triangulosa.**
   — — ultra labii apicem prominens labio non aut vix brevior. 2
2. Labium apice late truncatum, trapezoideum, basi insigniter latius quam longum. Oculi medii postici spatio non multo quam radius maiore inter se remoti; area oculorum mediorum

antice non latior quam postice. Epigyne foveâ ornata magnâ, parum angustiore quam spatium a mamillis infimis occupatum, subsemicirculari, antice et in lateribus margine acuto quidem sed non elevato circumdatâ, margine postico carinam formanti humilem in lateribus, in mediâ parte elevatam et leviter emarginatam. Cephal. ca. $3^1/_2$ mm. lg. **2. Teutana grossa.**

— semicirculare aut triangulare. 3

3. Epigyne processu instructa pallido, e margine suo postico exeunti, anteriora versus directo, adpresso, oblongo, apicem versus paullulum dilatato, apice obtuso. Abdominis dorsum albidum, vittâ obscurâ lateribus undulatis pictum. 4

— processu e margine suo postico exeunti, corneo, deorsum et anteriora versus directo, leviter procurvo, instructa. (Tab. I. fig. 24.). Abdomen colore valde varians, plerumque fuscum, unicolor aut vittâ pallidâ longitudinali pictum. Cephal. ca. 0·9—1·1 mm. lg. **2. Th. bimaculatum.**

— processu nullo instructa (nonnunquam postice in transversum carinata). 5

4. Epigyne foveâ ornatur ellipticâ, transversâ, lamellis pallidis, pellucidis, plicatis, posterius ita repletâ, ut inter eas et marginem foveae anticum restet rima transversa, tenuis, postice recte fere truncata (Tab. I, fig. 39 a.). Pars vittae abdominalis inter crenas secundas sita caeteris partibus plerumque insigniter pallidius colorata aut omnino deleta. Cephal. ca. 1·5 mm. lg. **20. Th. pulchellum.**

Praecedenti simillima, difficile ab ea distinguitur. Pars foveae, quae lamellis plicatis non tegitur, subrectangula aut rotundato quadrangula, non multo latior quam apex processus supra commemorati, quo maximam partem occultatur (Tab. I, fig. 40 a.). Pars vittae abdominalis inter crenas 2-as sita caeteris partibus plerumque non pallidior. Cephal. ca. 1·3—1·5 mm. lg. **21. Th. vittatum.**

5. Dorsum abdominis postice, inter partes libratam et declivem tuberculo *parvo* ornatum. Pedes rufo-flavi, nigro-maculati, ex. gr. femora ad apicem et medio annulis incompletis, praeterea in dimidio basali et in apicali maculis nigris ornata. Abdomen flavo-fuscum, dense albo punctatum, punctis maioribus nigris ornatum: in parte antica tuberculi dorsualis uno, et ad latus utrumque serie punctorum circiter 6, quorum 3 anteriora late inter se distant, posteriora in vittam longitudinalem plus minusve confunduntur. (Epigyne aream formare videtur corneam, sat convexam, postice leviter emarginatam, foveâ vadosâ, a margine postico sat late remotâ, ornatam[1]). Cephal. ca. 0·8 mm. lg. **1. Th. herbigradum.**

— — non tuberculatum. 6

6. Epigynes area cornea, postice in carinam transversam acutam elevata (Tab. I, fig. 30 a[2]). Abdomen colore valde varians. Oculi antici laterales a mediis spatio quam radius non maiore remoti. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **11. Th. varians.**

Epigyne postice nullâ carinâ acutâ ornata. 7

7. Intervalla oculorum anticorum lateralia diametro oculorum lateralium circiter aequalia aut eâ maiora; rarius eâ evidenter minora (sed non duplo), abdominis dorsum tum albidum vittâ ornatur latissimâ (totam fere latitudinem occupanti), fuscâ in lateribus, pallidâ secundum medium, parte fuscâ utrâque lineolis tribus albidis obliquis interruptâ *(Ther. sisyphium)*. 8

— — — — radio oculorum lateralium circiter aequalia aut minora. 11

8. Cephalothorax saltem 1·2 mm. longus. 9

— ca. 0·7 mm. longus, pallidus, marginibus concoloribus, parte cephalicâ nonnunquam infuscatâ; venter picturâ evidentiori caret. Epigyne foveâ ornatur transversâ, postice limbo corneo, leviter elevato, limitata. (Sec. perpauca exempla). **9. Th. pallens.**

9. Venter puncto fusco aut nigro ante mamillas notatus; sternum lineâ mediâ obscurâ caret. Oculi postici medii a lateralibus non aut parum longius quam inter se remoti. 10

— vittâ nigrâ angustâ ab epigastrio usque ad mamillas fere pertinenti (rarissime evanescenti) pictus. Sternum lineâ mediâ nigrâ ornatum. Oculi postici medii a lateralibus insigniter longius quam inter se remoti. Epigyne foveolâ ornatur parvâ, forma varianti, rotundatâ aut transversâ, septo diffuso, nonnunquam omnino indistincto, in partes duas divisâ, in maculâ nigrâ sitâ. Cephal. ca. 1·6—2 mm. lg. **3. Th. lineatum.**

---

[1]) In exemplis, quae vidi (duobus), pars epigynes anterior lamellâ obtecta videtur esse pellucidâ, leviter in longitudinem carinatâ (certo non nisi coitus signum, quod etiam in *Th. pinastri* pluries vidi). — Exempla nondum adulta insigniter ab adultis differunt: tuberculum abdominale deest, abdomen punctis albis paucis tantum ornatur, plerisque prope puncta nigra sitis, haec maiora quam in adultis, maculae potius dicenda; dorsum inter maculam tuberculo respondentem et marginem anticum maculis nigris duabus ornatur, que in adultis non occurrere videntur.

[2]) Epigynes pars ante carinam sita saepissime lamellâ ornatur rotundatâ, paullo convexâ, optime definitâ; cuius loco rarissime fovea invenitur formâ eâdem, modice profundâ.

Abdominis dorsum in formâ typicâ flavido album, utrimque serie punctorum nigrorum ornatum, in *var. ovata* maximam partem maculâ occupatur elongato ovatâ, purpureâ; in *var. redimitâ* restant e maculâ hac margines soli.

10. Epigyne foveâ ornatur profundâ, aeque fere longâ ac latâ, rotundatâ, ca. 0·11—0·14 mm. latâ, margine postico plus minusve fortius quam anticus indurato, saepe paullo elevato (Tab. I, fig. 25 a). Oculorum mediorum area non aut vix angustior postice quam antice. Cephalothorax flavidus, colore fusco-rufo suffusus, vittâ mediâ et marginibus fusco-rufis, plus minusve obscuris (nonnumquam parum obscurioribus quam cephalothoracis partes caeterae). Sterni margines fusco-rufi. Vittae dorsualis fuscae margines ad lineolas albas obliquas postremas aequabiliter sinuati, maculae inter lineolas albas sitae aut ubique concolores fuscae, aut pars earum interior pallidior quam margines anticus et exterior et posticus; raro pars anterior posteriore pallidior, rarissime maculae hae lineolis pallidis obliquis in partes duas dividuntur. Cephal. 1·2—1·5 mm. lg. **5. Th. sisyphium.**
Praecedenti simillima, difficilius ab eâ distinguitur. Epigyne foveâ ornatur profundâ, latiore quam longâ, ca. 0·16—0·20 mm. lata, margine postico non fortius quam anticus indurato, neque elevato (Tab. I, fig. 26 a.). Oculorum mediorum area paullulum angustior postice quam antice. Cephalothorax plerumque pallide flavidus, colore fusco-rufo non aut parum suffusus; vitta media et margines cephalothoracis et margines sterni fusca aut nigra. Margines vittae dorsualis abdominis ad lineolas albas postremas in angulum plus minusve fracti; maculae, in quas vitta lineis albis divulsa est, plerumque in parte anteriore pallidiores quam in posteriore, saepe lineolis pallidis secundum totam latitudinem aut in parte exteriore in partes binas divisae; non raro partes anteriores harum macularum omnino evanescunt. Cephal. 1·3—1·5 mm. lg. **6. Th. impressum.**

11. Sternum pallidum, marginibus nigro maculatis et lineâ mediâ nigrâ, plerumque interruptâ ornatum; nonnunquam maculae nigrae dilatatae et inter se confusae partem maiorem sterni occupant. Cephalothorax vittâ nigricanti, cuneatâ, postice in partem thoracicam non productâ, pictus; pedum femora subter in dimidio basali nigro maculata. Epigyne foveâ ornata transversâ, ad ipsum marginem posticum sitâ, margine antico medio paullulum in foveam ingredienti, margine postico depresso (itaque postice fere apertâ). (Tab. I, fig. 32 a.). Cephal. ca. 1·1—1·4 mm. lg. **13. Th. tinctum.**
— maculis obscuris in lineâ mediâ sitis caret. 12

12. Epigyne foveâ ornatur magnâ, latitudine saltem spatium a mamillis infimis occupatum aequanti, multo latiore quam longâ, marginibus lateralibus obtusis, margine postico medio eis insigniter altiore (Tab. I, fig. 31 a.). Cephal. ca. 1·3—1·6 mm. lg. **12. Th. pictum.**
— foveâ ornatur vadosâ, parum definitâ, paullo angustiore quam ambae mamillae simul sumptae latae sunt, antice et in lateribus marginibus omnino diffusis circumdatâ, margine postico elevato corneo nitido; paries posticus huius marginis supra in medio fovea profunda ornatus. Oculorum posticorum intervalla aut omnia aut saltem medium diametro multo minora. Cephal. ca. $2^1/_2$—$2^3/_4$ mm. lg. **1. Teutana castanea.**
Epigynes fovea, si adest distincta, mediocris aut parva, multo angustior quam ambae mamillae infimae simul sumptae, saepe rotundata, margine postico saltem non evidenter magis elevato quam margines laterales. 13

13. Epigyne foveâ ornatur mediocri, rotundatâ, cordatâ, aut transversâ, margine postico plerumque depresso aut aeque atque anticus elevato, raro paullo altiore quam anticus; fovea saepissime profunda est, raro membranâ planâ repletur. 14
— prope marginem posticum granulo ornata, quod nigrum in epigyne pallide coloratâ facillime conspicitur, antice sulco recurvato, parum expresso circumdatur. Corpus totum cum pedibus pallidum, albidum, vix vestigiis ullis picturae obscurae pictum, ex. gr. vittâ angustâ in parte cephalicâ sitâ, parum expressâ, e lineis duabus fere parallelis compositâ.[1]) Area oculorum mediorum plerumque paullulum angustior antice quam postice; oculi medii antici posticis minores. Cephal. ca. 1·0—1·1 mm. lg. **7. Th. nigrovariegatum.**
— postice in tuberculum mediocre, postice et in lateribus convexum elevata; tuberculi paries anticus excavatus foveolam format parvam, in partem epigynes planam non descendentem (Tab. I, fig. 36 a.). Corpus maximam partem obscure coloratum (abdomen fuscum, albido maculatum, sternum fuscum), pedes distincte annulati. Oculorum mediorum area rectangula, oculi antici posticis subaequales. Cephal. ca. 1·3 mm. lg. **17. Th. riparium.**

14. Pedum IV. patellae insigniter breviores quam $^1/_2$ tibiarum (ca. 2 : 5); cephalothorax ca.

---

[1]) Exempla similem in modum atque mares colorata non vidi.

0·8—0·9 mm. longus. Abdominis dorsum picturâ valde varians, flavido aut fuscescenti cinereum, utrimque serie macularum nigricantium pictum, in aliis omnino evanescentium, in aliis valde dilatatarum et inter se plus minusve confusarum. Margines postici oculorum posteriorum lineam paullulum recurvatam designant. Area oculorum mediorum antice plerumque paullulum angustior quam postice (nonnunquam aeque lata), latior postice quam longa; oculi medii antici posticis plerumque paullulum minores. Epigynes fovea parva, leviter transversa, ad ipsum marginem posticum sita, margine antico plus minusve depresso, postico omnino angusto, acuto. **4. Th. lepidum.**

— — patellae dimidias tibias longitudine saltem aequant, nonnunquam paullo superant, raro eis paullo breviores sunt, cephalothorax tum saltem 2 mm. longus est, margines postici oculorum posteriorum lineam paullulum procurvam (non recurvam saltem) designant, oculorum mediorum area longior quam postice lata. 15

15. Area oculorum mediorum subrectangula, antice non aut vix latior quam postice. Abdomen saepe altius quam latum. Epigynes fovea aut transversa, margine postico paullo magis quam anticus elevato et magis indurato, aut non latior quam longa, margine postico medio depresso. Dorsum abdominis varium in modum pictum, vittâ longitudinali pallidâ aut pallide marginatâ saltem, marginibus dentatis aut undulatis, totam suam longitudinem occupanti, caret. 16

— — — trapezica, antice circiter oculi radio latior quam postice. Abdomen leviter deplanatum, latius quam altum. Epigynes fovea aut non latior quam longa, aut leviter transversa, margo eius posticus tum neque altior quam anticus, neque magis induratus. Abdominis dorsum saepissime vittâ pictum pallidâ, aut albido marginatâ, totam suam longitudinem occupanti, marginibus undulatis aut dentatis. 18

16. Epigynes fovea transversa. Abdomen saepissime altius quam latum. 17

— — rotundata, marginibus acutis circumdata, margine postico medio leviter depresso, antico medio autem septum angustissimum, incompletum emittenti (Tab. I, fig. 35 a.). Abdomen non altius quam latum. Cephal. ca. 0·9—1·0 mm. lg. **16. Th. umbraticum.**

17. Cephalothorax ca. 2—2·3 mm. longus, insigniter brevior quam tibia I, circiter aeque longus atque tibia IV. **19. Th. tepidariorum.**

— ca. 1·4—1·6 mm. longus, insigniter longior quam tibia IV., aeque circiter longus atque tibia I. **18. Th. formosum.**

18. Pedum saltem anteriorum femora subter ante medium nigro maculata. Venter nigricans aut fuscus, maculâ magnâ albâ pictus. Abdominis vitta dorsualis antice non subito dilatata. Epigynes fovea rotundata. Cephal. ca. 1·0—1·6 mm. lg. **14. Th. denticulatum.**

— femora subter ante medium non maculata, nonnunquam umbrâ fuscâ, parum definitâ, longitudinali picta *(Th. pinastri)*. Venter non albo maculatus. 19

19. Vitta dorsualis abdominis marginibus aequabiliter undulatis, pars eius dilatata antica, caeteris parum latior, colore ab eis parum differt. Epigynes area insigniter convexa; fovea transversa, fere regulariter elliptica, marginibus omnibus aequabiliter elevatis, tota plerumque membranâ libratâ repleta. Cephal. ca. 1·3—1·4 mm. lg. **10. Th. pinastri.**

— — — marginibus undulatis aut dentatis; pars eius antica saepissime insigniter dilatata, in dentem utrimque producta acutum foras directum; pars haec, plerumque alba, maculam format trapezicam aut triangularem, colore a caeteris vittae partibus obscurius coloratis (nonnunquam parum expressis) optime distinctam. Epigynes area parum convexa, fovea fere simicircularis (postice truncata), angulis rotundatis, margine postico medio plus minusve depresso (Tab. I, fig. 34.). Cephal ca. 0·8—1·0 mm. lg. **15. Th. simile.**

Theridium Blackwallii. Maxillarum pars ultra labii apicem prominens labio non brevior; labium apice rotundatum. Oculi antici laterales a mediis spatio parum quam radius maiore remoti; area oculorum mediorum trapezica, antice latior. Abdomen non tuberculatum. Epigyne processibus caret, foveâ ornatur ca. duplo longiore quam latâ, antice et postice rotundatâ, apicem eminentiae aequabiliter plicatae occupanti. Sternum nigricans, vittâ mediâ pallidiore ornatum; pedum femora annulo subapicali fusco, supra melius quam subter distincto, sex anteriora praeterea subter maculâ nigricanti ornata; abdominis dorsum maculâ maximâ nigrâ, albo marginatâ, dimidium anterius occupanti ornatum, aut desuper adspectum nigrum, antice arcu albo recurvo, et supra mamillas maculâ albidâ pictum. Cephal. 1·3—1·5 mm. lg. (Sec. Cel. E. Simonem et Drem L. Kochium).

Mares.

1. Metatarsus I subter ad latus anticum serie aculeorum ca. 10 brevium crassium *(Th. pulchellum)* aut pilorum ca. 10 basi insigniter incrassatorum et nigrorum ornatus *(Th. vittatum)*.

Abdominis dorsum plerumque albidum, vittâ longitudinali sat latâ, fuscâ aut nigricanti, marginibus inaequalibus, ornatum. 2
Pili metatarsi I formâ vulgari. 3

2. Palporum pars tibialis una cum processu apicali, quo in latere externo inferiore ornatur, multo longior quam dorsum partis patellaris; bulbus genitalis apice uncis nigris duobus leviter incurvatis instructus, in latere exteriore neque prope medium neque basi processu evidentiori ornatus (Tab. I, fig. 39 b.). Cephal. 1·5—1·9 mm. lg. (Sec. pauca exempla in Istria lecta). **20. pulchellum.**
— — — cum processu apicali non longior quam dorsum partis patellaris. Bulbus genitalis stylo ornatur longo gracili nigro, prope laminae tarsalis marginem exteriorem medium emergenti, sub apicem laminae curvato; prope stylum hunc bulbus taeniâ ornatur membranaceâ pallidâ magnâ latâ, retro directâ, deorsum curvatâ, cuius margo apicalis posticus niger, lateri exteriori partis tibialis adpressus, tuberculum in eo nigrum formare videtur[1]) (Tab. I, fig. 40 b.). Cephal. 1·1—1·4 mm. lg. **21. vittatum.**

3. Mandibulae plus minusve divaricantes, prope medium in latere interiore postico aut in latere interiore prope apicem dente fortissimo instructae, plerumque ultra apicem manxillarum longe productae. Oculorum series posterior nonnunquam recurvata *(Th. lepidum)*. . . . 4
— armaturâ peculiari carent, inter se paene parallelae sunt. 5

4. Oculorum series posterior recurvata. Mandibulae ultra apicem maxillarum longe productae, prope apicem intus dente forti armatae. Latus interius partis tibialis palporum valde breve. Sternum vittâ nigrâ mediâ caret. Cephal. ca. 1—1·2 mm. lg. **4. lepidum.**
— — — leviter procurva. Mandibulae prope medium (modo ante, modo pone medium) dente fortissimo in latere interiore postico instructae, longitudine valde variantes, modo longe, modo parum ultra maxillarum apicem productae. Latus interius partis tibialis palporum aeque circiter atque pars patellaris longum. Sternum lineâ mediâ nigrâ pictum. Cephal. ca. 1·6—2·4 mm. lg. **3. lineatum.**

5. Femur IV. subter prope basim dente forti armatum. Palpi magni, parte femorali circiter $^3/_4$ cephalothoracis longitudine aequanti, parte tarsali aeque circiter longâ atque femoralis. Cephal. ca. 1·1—1·3 mm. lg. **2. bimaculatum.**
— — inerme. 6

6. Palporum pars femoralis basi incrassata et in latere exteriore granulis elevatis adspersa, apicem versus insigniter attenuata. 7
— — — formâ ordinariâ. 8

7. Bulbus genitalis in latere exteriore inter marginem „partis basalis“ et marginem laminae tarsalis lamellâ instructus oblongâ (longiore quam latâ) et paullo longiore quam est processus corneus in bulbi parte exteriore ad marginem laminae tarsalis situs et ei parallelus. (Tab. I, fig. 25b.). Cephal. ca. 1·2—1·7 mm. lg. **5. sisyphium.**
Lamella supra dicta transversa (latior quam longa), duplo circiter brevior quam processus corneus in parte bulbi exteriore apicali situs (Tab. I, fig. 26 b.). Cephal. ca. 1·1—1·7. mm. lg. **6. impressum.**

8. Pars tibialis palporum in latere superiore interiore ita excisa, ut lamina tarsalis ibi cum apice partis patellaris contingat aut ab eo spatio insigniter minore sit remota, quam est partis tibialis crassitudo. 9
— — — in latere superiore interiore non brevior quam est crassa (Tab. I, fig. 32 b.). Sternum lineâ mediâ nigrâ, plus minusve interruptâ, pictum. Pars cephalica vittâ nigricanti cuneatâ, in partem thoracicam (ultra foveam ordinariam) non productâ ornata. Pedum femora subter nigro maculata. Cephal. ca. 1·1—1·5 mm. lg. **13. tinctum.**

9. Bulbus genitalis in latere interiore prope medium nullo processu evidentiori instructus. . 11
— — in latere interiore prope medium aculeo instructus nigricanti gracili, retro directo, deorsum et foras curvato; partem bulbi mediam fere lamella tenet irregulariter rotundata, e parte externâ posticâ aculeum alium emittens, longum, intus et anteriora versus sub bulbi apicem curvatum (Tab. I, fig. 29 a, b.). Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **10. pinastri.**
— — in latere interiore prope medium processu corneo porrecto ornatus. In medio bulbus lamellâ simili atque in priore instructus est. 10

10. Processus supra dictus lamellam format apice exciso, in dentes duos acutos desinentem; ad eam prope medium bulbus dente alio corneo minore obtuso ornatur (Tab. I, fig. 30 b.). Cephal. ca. 1·1—1·2 mm. lg. **11. varians.**

---

[1]) Tuberculum hoc non ad partem tibialem pertinet, ut describitur, sed ad bulbum genitalem.

— — — dentem format oblongum, apice leviter oblique truncatum, acutum; ad eum, bulbo medio propius, dens iacet corneus alius, minor, qui difficilius conspicitur (Tab. I, fig. 31 b.). Cephal. ca. 1·3—1·7 mm. lg. **12. pictum.**

11. Bulbi pars maxima exterior anterior membranâ occupatur pellucidâ suborbiculari (Tab. I, fig. 28.). Tarsi I. dimidios metatarsos longitudine aequant. Oculorum posteriorum margines postici lineam leviter recurvam designant, oculi medii a lateralibus longius quam inter se distant. Cephalothorax fusco-rufus aut fuscus, in parte cephalicâ et margines versus plus minusve late obscurius coloratus, marginibus nigricantibus, in parte thoracicâ nonnunquam vittis obscuris radiantibus ornatus. Sternum nigro-fuscum, medio pallidius. Abdominis dorsum nigricans, limbo albido cinctum antice et in lateribus, postice vittâ mediâ albidâ pictum. Cephal. ca. 1·0 mm. lg. (Sec. perpauca exempla). **8. Blackwallii.**
Bulbus membranâ simili, atque supra dicitur, caret. 12

12. Bulbi apex processu corneo instructus ultra apicem laminae tarsalis insigniter prominenti, complicato et contorto; processu hoc pars apicalis emboli excipitur, cuius pars basalis, in circulum fere curvata, limbum nigricantem format lamellae plus minus rotundatae, pallidae, bulbi partem apicalem interiorem occupantis. 13
Bulbus processu ultra *apicem* laminae tarsalis prominenti caret (cave, ne angulum apicalem laminae ipsius pro parte bulbi habeas), rarius processu paullo ultrâ apicem hunc prominenti ornatur, emboli forma tum alia. 14

13. In palpo a latere exteriore adspecto embolus in semicirculum fere aut in angulum rectum aut recto paullo minorem, apice late rotundatum, curvatus videtur (Tab. I, fig. 38.) Cephal. ca. 1·7—2·0 mm. lg. **19. tepidariorum.**
— — — — — — embolus arcum latum, modice curvatum formare videtur (Tab. I, fig. 37.). Cephal. ca. 1·3 mm. lg. **18. formosum.**

14. Partis tibialis palporum latus superius interius mediocri longitudine, itaque basis laminae tarsalis ibi ab apice partis patellaris manifeste disiuncta (Tab. I, fig. 33.). Pars tarsalis non magna, aeque crassa (in exemplis maioribus) aut paullo tantum crassior (in minoribus[1]), quam area oculorum mediorum lata est. Sternum totum obscure coloratum; pedum femora, anteriora saltem, subter prope medium nigro maculata. Venter pone epigastrium nigricans, maculâ albâ notatus. Cephal. ca. 1·0—1·4 mm. lg. **14. denticulatum.**
— — — in latere superiore interiore adeo excisa, ut basis laminae tarsalis cum apice partis patellaris contingat aut ab eo spatio minutissimo distet. 15

15. Pars tarsalis palporum crassa, eius latitudo maxima latitudinem totius areae oculorum circiter aequans 17
— — — mediocris aut parva; eius latitudo maxima non aut non multo maior quam latitudo areae oculorum mediorum. 17

16. Sternum pallide flavidum, nigro marginatum. Abdominis dorsum saepissime albidum, nigro aut fusco et nigro maculatum. Bulbi pars magna, interior posterior, intus circiter $^2/_3$ longitudinis occupans, inde arcu obliquo versus squamam externam partis tibialis descendenti limitata, in longitudinem et in transversum convexa, parum inaequalis (Tab. I, fig. 27.). Squama partis tibialis angusta, fere lanceolata apice obtuso. Cephal. ca. 1·1—1·3 mm. lg. **7. nigrovariegatum.**
— rufo aut nigro-fuscum. Abdomen obscure coloratum. Squama partis tibialis late ovata. Bulbi pars postica aequabiliter convexa in bulbi latere exteriore ultra squamam eam prominens, inde arcu obliquo, intus et *retro* directo limitata, mediocris (Tab. I, fig. 35 b.). Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **16. umbraticum.**

17. Lamina tarsalis apice obtusa. Bulbus genitalis in parte apicali processu corneo ornatus cum latere laminae interiore contingenti, ultra apicem laminae paullo prominenti. Cephal. ca. 0·9 mm. lg. **15. simile.**
— — apice oblique truncata, angulo exteriore s. superiore uncum formanti brevem, ultra bulbi apicem paullo prominentem. Bulbi apicem processus format corneus, styloideus, ad latus laminae exterius situs et ei paene parallelus (Tab. I, fig. 36 b.). Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **17. riparium.**

Theridium herbigradum. Pili metatarsorum anticorum formâ vulgari. Mandibulae paene parallelae, armaturâ peculiari carent. Pedum III. et IV. femora subter serie spiculorum ornata. Palpi magni, aeque saltem longi atque cephalothorax cum abdomine, parte femorali crassâ, curvatâ, apice leviter dilatatâ. Cephal. 1·2 mm. lg. (an semper?). (Sec. Cel. E. Simonem).

---

[1]) Partes genitales: epigyne feminarum, marium partes tarsales palporum, in araneis plerisque (an omnibus?) minus variant magnitudine quam araneae ipsae!

Ther. pallens. Pili metatarsorum anticorum formâ vulgari. Mandibulae paene parallelae, armaturâ peculiari carent. Pedum IV. femora subter inermia. Palpi breves, parte femorali basi non incrassatâ, parte tibiali in latere superiore interiore ita excisâ, ut lamina tarsalis cum apice partis patellaris fere contingat; bulbi pars antica exterior membranâ magnâ subcirculari tecta. Oculi postici inter se spatiis subaequalibus remoti. Cephalothorax pallide flavidus, marginibus non obscurioribus, vittâ mediâ fuscâ aut nigrâ, postice angustatâ ornatus; sternum pallide flavidum. Cephal. 0·75—0·8 mm. lg. (Sec. Cel. E. Simonem et Drem L. Kochium).

Species 1. **Theridium herbigradum** *Simon 1873.*

Aranéides nouveaux ou peu connus du Midi de l'Europe, 2-e mémoire.

Theridion herbigradum Simon 1881. Ar. Fr.

VII. Buccari ♀, Martinscizza, Crkvenica ♀.

Species 2. **Theridium bimaculatum** *(Linné) 1767. „Aranea".*

Tab. I, fig. 24: epigyne.

Theridium reticulatum C. L. Koch 1845. Arachn. — Theridion carolinum Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Theridium bimaculatum Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Széphalom, Homonna, H.-Rokitó, Szinnaikő, Csap, Bártfa, Zboró, Szaláncz, Szepsi, Körtvélyes, Igló, Szliács, Selmeczbánya. III. Hadház. IV. Fehértemplom, Marillavölgy, Anina, Herkulesfürdő, Baziás, Orsova. V. Tasnád, Pele, Szathmár, Kolozsvár, Szamosujvár, Borszék, Alsó-Zsuk. VII. Orehovica.

Species 3. **Theridium lineatum** *(Clerck) 1757. „Araneus".*

Theridium redimitum C. L. Koch 1845. Arachn. — Theridium lineatum Westr. 1861. Ar. Suec. — Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Sim. 1881. Ar. Fr. — Phyllonethis lineata Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Tolcsva, Erdőbénye, Tokaj, Szerencs, B.-Szögh, Szomotor, Czéke, Varannó, Simonkacsúcs, Sztropkó, Mezőlaborcz, Homonna, Szinna, Szinnaikő, Ladomér, Dubrinics, Polonina runa, Bocskó, Eperjes, Bártfa, Zboró, Radvány, Regete-Ruszka, Torna, Körtvélyes, Szaláncz, Szepsi, Alsó-Meczenzéf, Szin, Felka, Szepes-Béla, Lucski, Koritnicza, Dobsina, Agtelek, Csiz, Selmeczbánya, Szliács, Kis-Kriván, Vág-Tepla, Budatin, Árva-Váralja, Pilis-Marót. II. Hédervár, Tallós, Sopron, Tata, Székesfehérvár, Felcsúth, Várpalota, Zircz, Kőszeg, Zákány, Tüske-puszta, Pécs. III. Budapest, Farkasd, Kis-Szt.-Miklós, Isaszegh, Monor, Kalocsa, Hadház, Rakamaz, Mezőkovácsháza. IV. Rékás, Klopodia, Anina, Szászkabánya, Eibenthal, Mehádia, Baziás, Drenkova, Veteráni barlangnál, Orsova. V. Szathmár, Kapnikbánya, Tasnád, Szucság, Szamosujvár, Mező-Szakál, Kolozsvár, Nagyág, Gyulafehérvár, Malomviz, Lövéte, Görgény, Borszék, Előpatak, Brassó, N.-Szeben, Bucsecshegy, Tömös. VI. Fiume. VII. Buccari, Zeng. VIII. Plitvica, Velebit, Ruma, Diakovár.

Species 4. **Theridium lepidum** *(Walck.) 1802. „Aranea".*

Phyllonethis instabilis Cambr. 1879. Sp. Dors. — Theridium lepidum Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Erdőbénye, Varannó.

Species 5. **Theridium sisyphium** *(Clerck) 1757. „Araneus".*

Tab. I, fig. 25. *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Theridium Sisyphus C. L. Koch 1841. Arachn. — Theridium sisyphium Westr. 1861. Ar. Suec. (ad part.?) — Thor. 1870. Rem. (ad part.). — Cambr. 1879. Sp. Dors. (ad part.?). — O. Herm. 1879. (ad part.?). — Sim. 1881. Ar. Fr. (ad part.?). — Theridion nervosum Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. (ad part.).

I. S.-A.-Ujhely, Tolcsva, Tokaj, Zombor, Szőllőske, Őrmező, Varannó, Sztropkó, Homonna, Szinna, Vihorlatcsúcs, Kabola-Polyána, Suliguli, Pietrosz havas, Bártfa, Eperjes, Zboró, Stoósz, A.-Meczenzéf, Torna, Szádelő, Körtvélyes, Igló, Szepes-Béla, Barlangliget, Tátra (Kriván), Csorbaitó, Lucski, Koritnicza, N.-Őrcze, Selmeczbánya, Diósgyőr, Mátra-Kékes, Árva-Váralja, Szulyó, Salgó. II. Kőszeg, Várpalota. V. Görgény-Szt.-Imre, Borszék, N.-Baczon, Bodzai hegység (Babarunka-völgy), Bucsecs-hegy, Tömös. VIII. Crnilug, Mrzla-Vodicza, Fuzine, Vrata, Risnjak (700—900 m.), Plitvica.

Species 6. **Theridium impressum** *L. Koch 1881.*

Beschreibungen neuer von H. Dr. Zimmermann bei Niesky in der Oberlausitz entdeckter Arachniden.

Tab. I, fig. 26. *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Theridium impressum Kulcz. Araneae in Camtschadalia a Dre B. Dybowski collectae.

Haec species, a plerisque auctoribus cum praecedenti confusa, apud nos aeque frequenter saltem occurrit atque illa.

I. S.-A.-Ujhely, Tolcsva, Tokaj, Szerencs, Bacska, K.-Toronya, Széphalom, Homonna, Roskócz, Mezőlaborcz, Sztropkó, Felső-Schőnborn, Izsnéte, Bocskó, Bártfa, Eperjes, Körtvélyes, Chocs havas, Kriván, N.-Őrcze, Felfalu, Tarnócz, Lucski, Cserépfalu, Szliács, Szulyó, Árva-Váralja. II. Székesfehérvár, Felcsúth, Pécs, Tolna. III. Budapest, Szt.-Endre, Farkasd, Vacs, Gödöllő, Kis-Szt.-Miklós, Kecskemét, Kalocsa, Hadház, Berkesz, Nyiregyházi sóstó, Bánhegyes, Mező-Kovácsháza. IV. Rékás, Fehértemplom, Hernyakova, Deliblát, Baziás, Szvinyicza, Plavisevicza, Jázova. V. Kapnikbánya, Tasnád-Szántó, Semesnye, Szamosujvár, Bánfihunyad, Mező-Szakál, Mező-Záh, Maros-Ujvár, Alsó-Zsuk, Székely-Keresztúr, Kolozsvár, Szucság, Torda, Szamosfalva, Borszék, Vasláb, Málnás, N.-Szeben. VI. Fiume. VII. Buccari, Portorè, Zeng. VIII. Francikovac. Vrata, Velebit, Jaska, Diakovár.

Species 7. **Theridium nigrovariegatum** *Sim. 1873. l. c.*

Tab. I, fig. 27: maris pars tarsalis palpi dextri.

Theridium Frivaldszkyi O. Herm. 1879. — Theridion nigrovariegatum Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Tokaj, Tarczal, Széphalom (8. VI. ♀), Varannó, Homonna, Kustánfalva, Torna, Körtvélyes, Salgó. II. Almádi, Várpalota, Pécs. III. Budapest, Kalocsa. IV. Baziás, Szvinyicza, Berzászka, Drenkova, Orsova. V. Mező-Szakál, Maros-Ujvár. VII. Buccari, Costrena-St. Lucia, Portorè, Crkvenica.

Species 8. **Theridium Blackwallii** *Cambr. 1871.*

Descriptions of some British Spiders new to science; with a Notice of others caet.

Tab. I, fig. 28: maris pars tarsalis palpi dextri.

Theridium Blackwallii L. Koch 1878. Verzeichn. d. b. Nürnberg b. j. beob. Arachn. — Euryopis Blackwallii Cambr. 1879. Sp. Dors. — Theridion Blackwallii Sim. 1881. Ar. Fr.

Apud nos rarissimum: duos mares legit Dr. Lendl ad V. Nagyvárad (mense Augusto 1886.).

Species 9. **Theridium pallens** *Blackw. 1834. Researches in Zool.*

Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1881. Ar. Fr. — Theridium persubtile L. Koch 1878. l. c.

I. Bártfa, Körtvélyes.

Species 10. **Theridium pinastri** *L. Koch 1872.*

Beitrag zur Kenntniss d. Arachnidenfauna Tirols, 2-te Abhandl.

Tab. I, fig. 29, *a*: et *b*: maris pars tarsalis palpi dextri.

Theridion pinastri Simon 1881. Ar. Fr.

I. Tokaj, Széphalom, Czéke, K.-Azar, Varannó, Bustyaháza, Ránk, Stoósz, Torna, Szulyó, Szendrő. II. Tüske. IV. Baziás, Plavisevicza. V. Kolozsvár, Borszék, Görgény-Szt.-Imre. VI. Fiume. VII. Orehovica, Buccari, Portorè.

Species 11. **Theridium varians** *Hahn 1831.*

Tab. I, fig. 30 *a*: epigyne, *b*: pars tarsalis palpi maris a latere interiore visa.

Theridium varians C. L. Koch 1845. Arachn. — Westr. 1861. Ar. Suec. — Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Tolcsva, Tokaj, Szerencs, Monok, B.-Szögh, Széphalom, Szőllőske, Czéke, Nagymihály, Varannó, Sztropkó, Szinnaikő, Győröcske, Polonina runa, Klastromalja, Pietroz havas, Suliguli, Kassa, Szepsi, Regete-Ruszka, Körtvélyes, Stoósz, Alsó-Meczenzéf, Tátrafüred, Szepes-Béla, Tátra (Kriván), Agtelek, Felfalu, Rozsnyó, Csorbaitó, Koritnicza, Lucski, Chocs havas, Szliács. II. Hédervár, Sopron, Zircz, Tüske puszta. III. Budapest, Farkasd, Kecskemét, Kalocsa, Hadház. IV. Temesvár. Rékás, Klopódia, Anina, Szászkabánya, Uj-Moldova, Herkules-fürdő, Baziás, Drenkova, Plavisevicza. V. Tasnád, Félix-fürdő, Szamosujvár, Kolozsvár, Borszék, Görgény-Szt.-Imre, Előpatak, Brassó, Nagy-Szeben. VIII. Ogulin, Plitvicza. Velebit (?, iuv.), Diakovár, Vrdnik, Ruma.

Species 12. **Theridium pictum** *(Walckenaër) 1802. „Aranea".*

Tab. I, fig. 31, *a*: epigyne, *b*: maris pars tarsalis palpi dextri.

Theridium pictum C. L. Koch 1845. Arachn. — Westr. 1861. Ar. Suec. — Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Bocskó, Bártfa, Zboró, Igló, Tátra (Felkai völgy, Virágos kert), Tarnócz, Árva-Váralja. V. Szatmár-Németi. VIII. Eszék.

Species 13. **Theridium tinctum** *(Walckenaër) 1802. „Aranea".*

Tab. I, fig. 32, *a*: epigyne, *b*: maris partes patellaris tibialis tarsalis palpi a latere interiore visae.

Westr. 1861. Ar. Suec. — Bl. 1864. Sp. Gr. Br. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1881. Ar. Fr. — Theridium irroratum C. L. Koch 1845. Arachn.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Monok, Véke, Széphalom, Terebes, Varannó, Homonna, Bártfa, Stoósz, Szepsi, Körtvélyes, Igló, Szepes-Béla, Tátraháza, Csorbaitó, Rozsnyó, Lucski-fürdő, Szliács, Vág-Tepla, Szenicz, Budatin, Esztergom. II. Hédervár, Várpalota, Csákvár. III. Budapest, Farkasd, Hadház. IV. Rékás, Baziás, Veterani barlangnál, Herkules fürdő. V. Tasnád, Belényes, Görgény-Szt.-Imre, Szamosujvár, Kolozsvár, Gyulafehérvár, Borszék, Bucsecs hegy, Tömös, Nagy-Szeben. VIII. Leskovácz, Plitvicza, Fuzine, Vrata, Jasenak, Vrdnik, Diakovár.

Species 14. **Theridium denticulatum** *(Walckenaër) 1802. „Aranea".*

Tab. I, fig. 33: maris partes patellaris tibialis tarsalis palpi a latere interiore visae.

Westr. 1861. Ar. Suec. — Bl. 1864. Sp. Gr. Br. — Thor. 1870—73. Rem. — O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Tolcsva, Tokaj, Szőllőske, Kis-Azar, Homonna, Szinna, Bártfa, Szepsi, Torna, Szin, Szenicz. II. Felcsúth, Balaton-Szántód, Csákvár. III. Budapest, Csepelsziget, Vácz, Kalocsa. IV. Rékás, Baziás, Orsova. V. Szamosujvár, Kolozsvár, Torda, Gyulafehérvár. VI. Fiume. VII. Buccari, Draga-gornja. VIII. Fuzine, Jasenak, Pazua-sztara, Jaska.

Species 15. **Theridium simile** *C. L. Koch 1836. 1841. Arachn.*

Tab. I, fig. 34: epigyne.

Westr. 1861. Ar. Suec. — Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Erdőbénye, Szőllőske, Varannó, Sztropkó, Homonna, Vihorlat csúcs, Torna, Agtelek, Szulyó, Szliács. III. Kecskemét. IV. Baziás, Bielo brdo. VII. Buccari, Crkvenica. VIII. Fuzine, Diakovár.

Species 16. **Theridium umbraticum** *L. Koch 1873. Ar. Tir. II.*

Tab. I, fig. 35. *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Theridium umbraticum Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Tátrafüred, Csorbaitó, Tátra (Kriván).

Species 17. **Theridium riparium** *Blackwall 1834. Researches in Zool.*

Tab. I, fig. 36, *a:* epigyne a parte inferiore et paullo a fronte visa, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri.

Theridium saxatile C. L. Koch 1838. Arachn. — Westr. 1861. Ar. Suec. — Therid. riparium Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Szinnaikő, Eperjes (juv.?), Alsó-Meczenzéf, Tátra (VIII. ♂), N.-Rőcze, Tarnócz. III. Kecskemét (12. VII. ♂). IV. Plavisevicza (juv.?).

Species 18. **Theridium formosum** *(Clerck) 1757. „Araneus".*

Tab. I, fig. 37: maris pars tarsalis palpi sinistri.

Theridium lunatum C. L. Koch 1841—45. Arachn. — Theridium formosum Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr. — Theridion sisyphum Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Tokaj, Monok, Szőllőske, A.-Bereczki, Varannó, Sztropkó, Homonna, Ladomér, Szobráncz, Munkács, Kassa, Szepsi, Stoósz, Bártfa, Lucski, Koritnyicza, Nagy-Rőcze, Felfalu, Selmeczbánya, Alsó-Kubin, Szenicz, Budatin, Árva-Váralja. II. Sopron, Kám, Felcsuth, Várpalota, Tolna, Tüske puszta, Balatonpart. III. Budapest, Szt.-Endre, Hadház, Nyiregyháza. IV. Temesvár, Rékás, Szászkabánya, Resicza, Ruszkabánya, Herkules fürdő, Baziás, Drenkova, Plavisevicza, Orsova. V. Pecze-Szt.-Márton, Rézbánya, Szamosujvár, Kolozsvár, Tömös, Malomviz. VI. Fiume. VII. Buccari, Portorè, Crkvenica. VIII. Fuzine, Ogulin, Diakovár.

Species 19. **Theridium tepidariorum** *C. L. Koch 1841. Arachn.*

Tab. I, fig. 38: maris pars tarsalis palpi sinistri.

Theridium tepidariorum Westr. 1861. Ar. Suec. — Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr.

Occurrit haec species apud nos etiam sub divo.

I. Perbenyik, Esztergom. II. Sopron. IV. Podporány, Fehértemplom (?, iuv.). V. Kolozsvár. VII. Portoré. VIII. Eszék, Jaska.

Species 20. **Theridium pulchellum** *(Walckenaër) 1802. „Aranea".*

Tab. I, fig. 39, *a:* epigyne, *b:* maris partes patellaris tibialis tarsalis palpi dextri.

Theridion pulchellum Sim. 1881. Ar. Fr.

Rarissimum; partem Hungariae meridionalem solam incolere videtur. Unicam ♀ legit Prof. Damin ad VII. Buccari. Habemus porro exempla iuvenilia vix certo determinanda e VIII. Velebit.

Species 21. **Theridium vittatum** *C. L. Koch 1836. Arachn.*

Tab. I, fig. 40, *a:* epigyne, *b:* maris partes patellaris tibialis tarsalis palpi dextri.

Theridium pulchellum West. 1861. Ar. Suec. — Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Thor 1870. Rem. (pro parte?). — Cambr. 1879. Sp. Dors. — ? O. Herm. 1879. — Theridion vittatum Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Szőllőske, Kis-Azar, Regete-Ruszka. II. Sopron. IV. Rékás. VIII. Varasd-Teplicz, Podsused, Jaska (juv.?).

Genus 10. **Teutana** *Simon 1881.*

Theridium Westring 1861. (ad part.). — Theridion Blackwall 1864. (ad part.). — Steatoda Thorell 1869. (p. part.). — O. Herman 1879. (p. part.). — Cambridge 1881. (p. part.).

(Conspectum feminarum vide supra: pag. 26.)

Mares.

1. Lamina tarsalis palporum non longior quam latus interius partis tibialis. Embolus mediocri longitudine, a margine exteriore laminae tarsalis apicem bulbi versus directus, subrectus aut curvatus, latus interius bulbi longe non attingens. 2
— — — duplo saltem longior quam latus interius partis tibialis. Embolus longus, in bulbi genitalis dimidio apicali situs, a basi, quae in latere bulbi exteriore iacet, versus latus interius directus, marginem interiorem laminae tarsalis fere attingit, tum sub rostrum laminae curvatus est; prope eum, in latere interiore, bulbus unco ornatur corneo, modice gracili, anteriora versus directo, deorsum curvato (Tab. I, fig. 41.). Cephal. ca. $2^1/_2$—$3^1/_2$ mm. long. **2. grossa.**
2. Maxillarum pars ultra labii apicem prominens labio saltem duplo brevior. Cephal. ca. 2—$2^1/_2$ mm. long. **3. triangulosa.**
— — — — — — paene aeque longa atque labium. Cephal. ca. $2^1/_4$—$2^3/_4$ mm. lg. **1. castanea.**

Species 1. **Teutana castanea** *(Clerck) 1757. „Araneus".*

Theridium castaneum Westr. 1861. Ar. Suec. — Steatoda castanea Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Teutana castanea Sim. 1881. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Tolcsva, Erdőbénye, Tokaj, Szőllőske, Lelesz, Velejte, Varannó, Homonna, Munkács, Bustyaháza, Bocskó, Kassa, Körtvélyes, Szin, Igló, N.-Rőcze, Rozsnyó, Felfalu, Selmecz (Hodrusbánya), Szenicz, Árva-Váralja. II. Sopron, Tata, Csákvár, Felcsúth, Tüske puszta, Boglár, Abaliget. III. Budapest, Kalocsa, Pilis, Solt, Nyáregyháza, Nyiregyháza, Berkesz, Hadház, Ada, Bánhegyes. IV. Buzád, Deliblat, Fehértemplom, Rékás, Resicza, Herkules-fürdő, Petnik, Pancsova. V. Nagyvárad, Pecze-Szt.-Márton, Belényes, Betlen, Kolozsvár, Alsó-Zsuk, Torda, Szamosujvár, Bánfihunyad, Maros-Ludas, Szamosfalva, Gyulafehérvár, Borszék, N.-Szeben. VIII. Eszék, Jaska.

Species 2. **Teutana grossa** *(C. L. Koch) 1838. Arachn. „Theridium".*

Tab. I, fig. 41: maris pars tarsalis palpi sinistri.

Theridium hamatum Westr. 1861. Ar. Suec. — Theridion versutum Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Steatoda versuta Thor. 1870. Rem. — Camb. 1881. Sp. Dors. — Teutana grossa Sim. 1881. Ar. Fr.

II. Sopron, Kám, Felcsúth. III. Budapest (Zugliget), Kecskemét. IV. Uj-Moldova. VII. Buccari.

Species 3. **Teutana triangulosa** *(Walckenaër) 1802. „Aranea".*

Theridium venustissimum C. L. Koch 1838. Arachn. — Steatoda triangulosa Thor. 1873. Rem. — O. Herm. 1879. — Teutana triangulosa Sim. 1881. Ar. Fr.

I. Selmeczbánya. II. Pécs. III. Budapest, Kecskemét, Kalocsa, Hajdu-Szoboszló. IV. Rékás, Podporány, Deliblat, Resitza, Uj-Moldova, Herkules fürdő. V. Kolozsvár, Gyulafehérvár. VI. Fiume. VII. Buccari, Portorè, Novi, Zeng. VIII. Jaszenák, Diakovár, Pazua sztara, Eszék, Jaska.

Genus 11. **Steatoda**[1]) *(Sundevall) 1833.*

Thorell 1869. (pro parte). — O. Herman 1879. (pro parte). — Simon 1881. — Cambridge 1879—1881. (pro parte). — Theridium Westring 1861. (ad part.). — Theridion Blackwall 1864. (ad part.).

S. bipunctata. Epigyne foveâ ornatur sat magnâ, latiore quam longâ, antice et in lateribus marginibus acutis sed non elevatis, postice margine elevato, corneo, nitido, limitatâ, septo e margine antico exeunti parum lato, humili, dimidiatâ, utrimque tubere corneo nitido obliquo, cum margine laterali medio fere coniuncto, ornatâ (pars tuberi et margini antico interiecta saepe materiâ quadam flavidâ repletur — certo coitus signum!); foveae margo posticus ab epigastrii margine spatio distat circiter duplo quam fovea ipsa breviore, transverse plicato (Tab. I, fig. 42. a.). *Maris* palpi parte tibiali breviore quam pars patellaris; laminae tarsalis (quam a latere interiore adspicias) margo apicalis valde obliquus, sinuatus, angulus apicalis inferior omnino obtusus, superior insigniter productus subacutus; bulbi genitalis partem anticam interiorem processus format magnus corneus, oblique positus, ferri equini instar curvatus, in toto longior quam latus, ramo superiore quam inferior breviore, ambobus acutis, margine non dentato; embolus mediocri longitudine, bulbi lateri exteriori medio fere innatus, basi latus, apicem versus longe attenuatus, basi deorsum directus, anteriora versus inter ramos processus supra dicti curvatus; apex emboli prope apicem laminae tarsalis situs, in palpo a latere exteriore adspecto lamella subpellucidâ oblongâ occultatur. (Tab. I, fig. 42. b.). Cephal. ca. 2—2½ mm. lg.

Species 1. **Steatoda bipunctata** *(Linné) 1758. „Aranea".*

Tab. I, fig. 42 *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri a latere exteriore visa.

Phrurolithus ornatus C. L. Koch 1839. Arachn. — Eucharia bipunctata Id. ibid. 1845. — Theridium bipunctatum Westr. 1861. Ar. Suec. — Theridion quadripunctatum Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Steatoda bipunctata Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — O. Herm. 1879. — Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Szerencs, A.-Bereczki, Szőllőske, Szomotor, Lelesz, Nagymihály, Terebes, Varannó, Sztropkó, Mezőlaborcz, H.-Rokitó, Udva, Szinnaikő, Győröcske, Bustyaháza, Bártfa, Zboró, Kassa, Körtvélyes, A.-Meczenzéf, Igló, Felka, Tátra (Kriván), N.-Rőcze, Lucski, Chocs, Koritnyicza, Felfalu, Krasznahorka, Vihnye (Antal és Hedvig tárna), Selmecz (Hodrus bánya), A.-Kubin, Budatin, Trencsén-Teplicz, Szenicz, Cserépfalu, Zsércz. II. Tallós, Sopron, Almádi, Szt.-Gróth, Csákvár, Felcsuth, Kám, F.-Gallai barlang, Várpalota. III. Budapest, Kalocsa, Hadház. IV. Buzád, Fehértemplom, Rékás, Buziás. V. Pecze-Szt.-Márton, Belényes, Szamos-Ujvár, Görgény-Szt.-Imre, Kolozsvár, Szamosfalva, Gyulafehérvár, N.-Ajta, Borszék, Brassó. VIII. Risnyák-hegy, Mrzla vodicza, Pazua sztara, Eszék, Jaska.

Genus 12. **Crustulina** *Menge 1868.*

Simon 1881. — Theridium Westring 1861. (pro parte). — Theridion Blackwall 1864. (pro parte). — Steatoda Thorell 1869. (ad part.). — O. Herman 1879. (ad part.). — Cambridge 1879. (p. part.).

Feminae.

1. Abdomen fuscum aut nigrum, albo maculatum, rarius concolor, pedes tum nigro annulati.[2]) 2
   — nigrum, concolor; pedes flavo-rufi, non maculati. Epigynes, pars anterior posteriora versus adscendens, in carinam desinit recurvatam; pars posterior prope carinam hanc tuber format diffusum, parum definitum, transversum, posteriora versus fortiter dilatatum, medio in longitudinem impressum (Tab. II, fig. 3.). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. (Sec. 2 exempla). **3. rugosa.**
2. Venter ad epigastrii marginem puncto ornatus albo, nonnunquam evanescenti. Pedes flavido-rufi aut obscuriores, annulis carent. Epigyne similis atque in priore; pars eius pone carinam supra dictam sita posterius depressa est, anterius elevata carinam alteram format, transversam, modice definitam, transverse plicatam, impressione medianâ carentem, a carinâ anteriore et ab epigastrii margine postico spatiis subaequalibus remotam (Tab. II, fig. 1. a.). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **1. scabripes.**

---

[1]) Nomen hoc in genus *„Teutana"* E. Sim. transferendum et genus *„Steatoda"* E. Sim. novo nomine appellandum mihi videtur; generis enim *Steatodae* (Sund.), a Cel. T. Thorellio a. 1869. constricti, typus est *Araneus castaneus* Clerck (Thorell, on European Spiders, pag. 93.).

[2]) Non raro occurrit *Cr. guttata* abdomine concolore. — *Erigone globosa* m. (olim: 1876., 1881.) synonymum est *Cr. guttatae;* non dubito, quin etiam *Ceratina globosa* ab A. Menge secundum exemplum huius speciei, maculis albis abdominalibus deletis sit descripta.

Venter ad epigastrii marginem puncto albo nullo ornatus. Pedes rufo-flavidi aut obscuriores, apicibus femorum anteriorum et apicibus tibiarum (latius in pedibus anterioribus, angustius in posterioribus) colore nigro pictis. Epigyne similis atque in prioribus; pars tamen posterior fere tota elevata tuber format obtusum, crassum, cuius margo apicalis posticus (plerumque multo melius definitus quam margo anticus) spatio multo minore ab epigastrii margine postico distat quam a carinâ anticâ (Tab. II, fig. 2. a.). Cephal. ca. 0·95 mm. lg. **2. guttata.**

Mares.

Pedes rufo-flavidi, femoribus anterioribus plus minusve infuscatis, annulis obscuris carent. Palporum pars femoralis a basi apicem versus leviter, apice fortius dilatata, hic perparum angustior quam pars patellaris. Bulbus genitalis in parte basali exteriore unco ornatus procurvo, adpresso, prope apicem in pariete exteriore denticulis paucis nigris acutis instructo. (Tab. II, fig. 1. b.). Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **1. scabripes.**

— — — ut in feminâ maculati. Palporum pars femoralis desuper adspecta a basi apicem versus aequabiliter dilatata videtur, apice evidenter angustior quam pars patellaris. Uncus, quo bulbi pars basalis exterior ornatur, glaber, non dentatus (Tab. II, fig. 2. b.). (Pedum femora in hac specie ut in priore granulis parvis nigris ornantur, maioribus in pedibus anterioribus quam in posterioribus; granula haec maiora sunt in *Cr. scabripedi* quam in *Cr. guttata*). Cephal. ca. 1·0—1·1 mm. lg. **2. guttata.**

Mas **Cr. rugosae** ignotus.

Species 1. **Crustulina scabripes** *Simon? 1881. Ar. Fr.*

Tab. II fig. 1, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

VII. Martinscizza, Buccari, Crkvenica, Novi (5. VII. 892. ♀).

Species 2. **Crustulina guttata** *(Wider) 1834. „Theridium" in Zool. Misc.*

Tab. II. fig. 2, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Sim. 1881. Ar. Fr. — Theridium guttatum C. L. Koch 1841. Arachn. — Westr. 1861. Ar. Suec. — Theridion guttatum Bl. 1864. Sp. Gr. Br. — Steatoda guttata Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Camb. 1879. Sp. Dors.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Terebes, Dargó, Udva, Szinnaikő. II. Várpalota. III. Nagy-Kőrös, Kecskemét, Hadház. IV. Duplaj, Langenfeld, Orsova (Allionhegy). VII. Orehovicza, San Cosmo, Meja, Buccari. VIII. Velebit.

Species 3. **Crustulina rugosa** *(Thorell) 1875. „Steatoda" Diagn.*

Tab. II, fig. 3: epigyne.

Thor. 1875. Descr.

I. S.-A.-Ujhely (duae ♀, 14. V. 1892).

Genus 13. **Asagena** *Sundevall 1833.*

Thorell 1869. — O. Herman 1879. — Cambridge 1879. — Simon 1881. — Theridium Westring 1861. (pro parte). — Theridion Blackwall 1864. (pro parte).

A phalerata. *Femina:* Pedes rufi aut rufo-flavidi et colore fusco suffusi; femora et tibiae pedum anteriorum nigra, basi plus minusve pallidiore, tibiae posteriores apicem versus nigricantes; metatarsi et praesertim tarsi apicem versus plus minus infuscati. Epigyne magna, nitida, circiter sescuplo latior quam longa, subrectangula, angulis rotundatis, sculpturâ valde varians, sulco acute impresso, praesertim antice et in laterum parte anteriore distincto, limitata; antice in medio area haec profunde et anguste saltem usque ad medium excisa est. (Tab. II. fig. 4 a). Cephal ca. 2 mm. lg.

Femina **A. meridionalis** non certo nota est.

Mares.

Tibiae anteriores supra subterque (basi angustâ pallidâ exceptâ) nigrae aut fuscae, femora anteriora apice colore nigro tincta. Pars tibialis palporum subter brevissima: bulbus genitalis postice usque fere ad apicem partis patellaris productus. Embolus longissimus, bulbo genitali longe ante medium innatus, primo in circulum fere flexus versus bulbi latus exterius, tum secundum bulbi latus exterius, posticum, interius, curvatus, bulbi apicem attingit; pars emboli postrema spatio parvo ab apice partis patellaris remota; ad basim emboli, inter eius curvaturam basalem, bulbus processu corneo ornatur gracili, pluries longiore quam lato, apicem versus angustato (Tab. II. fig. 4 b). Cephal. ca. 2·5 mm. lg. **1. phalerata.**

— — supra non obscurius quam patellae coloratae, subter paullulum infuscatae, femora I. fere tota nigra, II. nigro-fusca. Pars tibialis palporum subter non multo brevior quam supra: pars bulbi genitalis postrema ab apice partis patellaris late distans. Embolus longus, bulbo genitali prope medium innatus, similem in modum atque in priore curvatus; propter bulbi formam aliam tamen pars emboli postrema ab apice partis patellaris et ab apice partis tarsalis spatiis parum aut non valde inaequalibus saltem distat. Prope basim emboli bulbus lamellâ ornatur corneâ, non longiore quam latâ (quae difficilius conspicitur). (Tab. II. fig. 5). Cephal. 2—3·6 mm. lg. **2. meridionalis.**

Species 1. **Asagena phalerata** *(Panzer) 1801. „Phalangium."*

Tab. II. fig. 4. *a*: epigyne, *b*: maris pars tarsalis palpi dextri.

Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Camb. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1881. Ar. Fr. — Theridium quadrisignatum Hahn 1831. Arachn. — Th. serratipes Westr. 1861. Ar. Suec. — Theridion signatum Bl. 1864. Sp. Gr. Br. — Asagena serratipes C. L. Koch 1839. Arachn. — Phrurolithus pallipes 1845. Idem ibidem.

I. S.-A.-Ujhely, Tolcsva, Tarczal, Szerencs, Mád, Megyaszó, Szőllőske, A.-Bereczki, B.-Szögh, Királyhelmecz, Széphalom, N.-Kázmér, Dargó, Szinnaikő, Vinna, Forró, Körtvélyes, Kis-Kriván, Budatin. II. Sopron, Kám. III. Kecskemét, Tiszalök. V. Kolozsvár, Borszék, Torda, Hátszeg, Vlegyásza, Brassó, Lotrioravölgy. VII. Buccari. VIII. Fuzine.

Species 2. **Asagena meridionalis** *nova species Kulczyński.*

Tab. II. fig. 5. maris pars tarsalis palpi dextri.

Mas.

Cephalothorax insigniter longior quam latus, formâ paullo varians, $^2/_7$ aut $^5/_9$ longior quam latus: parte cephalicâ modo longius productâ (in exemplo staturâ maiore), modo breviore, areâ oculorum circiter 3-plo angustiore quam cephalothorax (paullulum latiore in exemplo minore, paullulum angustiore quam $^1/_3$ cephalothoracis in maiore), lateribus modice rotundatis, antice insigniter angustatus, parum sinuatus, fronte rotundatâ cum lateribus partis cephalicae in arcum paene aequabilem confluenti. Humilis est cephalothorax, dorso inter declivitatem posticam et oculos posterius levissime excavato, anterius paullulum convexo, nusquam evidenter supra oculos posticos medios elevato, ad eos non aut parum altiore quam angulus, in quem coëunt declivitas postica et dorsi pars sublibrata. Pars thoracica crasse rugosa, cephalica modo subtilius reticulata, modo sculpturâ parum ab eâ distincta; illa utrimque lineis impressis binis sublaevibus, modice aut parum distinctis ornata, postice (ubi abdomine tecta est) subtilissime transverse striata; fovea ordinaria profunda, transversa, recurvata, marginibus parum definitis. Impressiones cephalicae sat profundae. Oculorum series posterior paene recta, oculi subaequales (laterales fortasse paullulum maiores), medii inter se circiter diametro suâ, a lateralibus spatio duplo fere maiore remoti; series anterior leviter procurva: marginibus superioribus lineam paene rectam designantibus, oculi medii lateralibus minores, inter se et ab eis spatiis subaequalibus, diametrum suam saltem aequantibus remoti; oculi laterales antici posticis paullo maiores, eorum intervallum circiter radio aequale. Area oculorum mediorum paene rectangula, paullo longior quam lata; clypeus eâ paene duplo aut $^5/_3$ altior, sub oculis ipsis impressus, caeterum insigniter in longitudinem convexus. Mandibulae ca. $^1/_4$ longiores quam clypeus, ambae simul sumptae latiores quam longae, paullo angustiores quam femora I., dorso in latere interiore et in latere exteriore infra punctis impressis ornatae, caeterum sublaeves nitidae, margine apicali inermi. Maxillae fortiter in labium inclinatae, earum pars ultra labii apicem prominens eo paullo brevior; labium subtriangulare, paullo latius quam longum. Sternum

punctis magnis impressis irregularibus, dense congestis ornatum, parte mediâ anteriore angustâ sublaevi. Palporum pars femoralis a basi apicem versus leviter et aequabiliter incrassata et dilatata; pars patellaris ca. $1^1/_2$ longior quam lata, lateribus paene parallelis; tibialis a basi ipsâ, quae angustior est quam pars patellaris, fortiter, in utroque latere paene aequabiliter, campanulato dilatata, supra in lineâ mediâ aeque circiter atque dorsum partis patellaris longa, aut paullo brevior, paullo longius in latere exteriore quam in interiore producta, margine apicali superiore, qui parti tarsali arcte adpressus est, paullo obliquo et leviter sinuato; subter pars haec non multo brevior est quam supra; pars tarsalis una cum tibiali duplo fere longior quam lata, fere a medio apicem versus fortiter angustata et in latere exteriore fortius quam in interiore sinuata. Apex bulbi genitalis ultra apicem laminae tarsalis paullulum prominet. Embolus longus, gracilis, lateri exteriori bulbi innatus, retro directus, intus et denique anteriora versus curvatus, marginem interiorem laminae tarsalis non attingit; ad eius basim bulbus lamellâ corneâ ornatur, parvâ, formâ paullo varianti, non evidenter longiore quam latâ; prope latus interius medium bulbus spinâ instructus est corneâ, latiusculâ, anteriora versus et paullo deorsum directâ, apice subito acuminato deflexo; apicem bulbi lamella format parum indurata, convoluta, pluries longa quam lata, cum quâ contingit apex emboli. Pedes similem in modum atque in *A. phalerata* dentibus et granulis numerosis, praesertim in femorum et tibiarum latere inferiore ornati. Abdomen ovatum, depressum, in pariete antico annulo corneo elevato ornatum, intra eum excavatum et parti cephalothoracis postremae adpressum (ut in *A. phalerata*).

Cephalothorax cum mandibulis maxillis sterno niger colorem fuscum plus minusve sentiens; palpi nigri et fusco-nigri, parte patellari caeteris paullo pallidiore; pedum coxae subter nigrae et fusco-nigrae, posteriores gradatim pallidiores; trochanterum color parum pallidior; femora antica nigra, colore fusco-rufo suffusa, femora II. rufo-fusca, colore nigro praesertim apicem versus plus minusve suffusa, caeterae pedum partes flavido-rufae aut rufo-flavidae, apicem versus plus minusve late colore fusco suffusae, tibiae I. etiam subter (et tibiae II. in latere antico inferiore) infuscatae. Abdomen nigrum, colore fusco suffusum, albo maculatum: venter ad epigastrii marginem puncto parvo, nonnunquam evanescenti, pictus, dorsum in margine antico utrimque vittâ transversâ, parum latâ, in lineâ media paullo pone marginem anticum maculâ triangulari aut oblongâ, tibias aut tarsos pedum latitudine aequanti, et ad marginem posticum vittâ longiore et plerumque angustiore, e puncto anteriore et e lineâ brevi posteriore compositâ, in utroque latere denique medio aut paullulum pone medium fasciâ brevi transversâ aut paullo obliquâ (foras et paullo anteriora versus directâ) ornatum.

Cephalothorax 2—3·6 mm., abdomen 1·9—3·1, pedum I. femur (exempli cephalothorace 3·6 mm. longo) 2·2, tibia cum patella 2·8, metatarsus 1·6, tarsus 0·9, partes eaedem pedum II: 2·0, 2·2, 1·4, 0·8, pedum III: 1·7, 2·0, 1·2, 0·8, pedum IV: 2·4, 2·8, 1·6, 0·9 mm. longae.

Aranea haec simillima est *Asagenae phaleratae* (Panz.), a qua non differre videtur nisi palporum structurâ et pedum colore. Utrum re verâ, ut nobis videtur, species sit propria, an varietas modo *A. phaleratae,* observationes futurae decernent; palporum forma paullo mutabilis est: in exemplis minoribus pars tibialis subter paullo brevior est quam supra, embolus posteriora versus longius protractus et eius longitudo cum bulbo comparata maior, quam in exemplis staturâ maiori. His rebus tamen tria exempla, quae vidimus, multo minus differunt inter se, quam ab exemplis sat multis *As. phaleratae* verae a nobis lustratis.

Occurrit haec forma in Hungaria (duo exempla legit Jablonovszky ad II. Sopron.) et in Italia septemtrionali (exemplum unicum, Hungaricis ambobus minus, Brixiae (Brescia) lectum dono nobis dedit Rev. Cattaneo S. I.).

Genus 14. **Lithyphantes** *Thorell 1869.*

O. Herman 1879. — Simon 1881. — Theridium Westring 1861. (ad partem).

Feminae.

Epigyne ad marginem posticum sulco ornata transverso, latitudine varianti, leviter recurvo aut in angulum valde obtusum fracto, margine antico medio leviter inciso, margine postico quam anticus saltem non humiliore et plus minusve incrassato, corneo, glabro, nitido. Venter ad epigastrium puncto albo ornatus, saepe evanescenti, caeterum subconcolor. Dorsum abdominis modo antice arcu ornatur albo recurvo, in latera longe producto, postice fortiter dentato, supra autem vittâ albâ longitudinali, neque arcum eum neque mamillas attingenti, utrimque in dentes ca. 4 dilatatâ (raro usque ad limbum album lateralem productis), — modo arcu in margine antico sito, recurvo, in latera parum producto, flavo, excepto, nigrum est. Cephal. ca. 4·5 mm. lg. (Sec. pauca exempla Bosnensia et Caucasica). **2. Paykullianus.**

Epigyne postice ita impressa, ut foveam formet subrectangulam transversam, multo latiorem quam longam, postice apertam, antice et in lateribus margine circumdatam crasso, corneo, paullo inaequali; margo anticus medius plerumque sulco profundo interruptus; ante hunc marginem epigyne foveâ aliâ ornatur, aeque atque fovea posterior latâ, margine limitatâ acuto sed non elevato, in lateribus rotundatâ, margine antico medio in eam ingredienti plus minusve in foveolas duas divisâ (Tab. II, fig. 6 a.). Venter pone epigastrium lineâ alba ornatur longitudinali, postice autem arcu albo procurvo, cum lineâ eâ in signum ancorae simile plerumque coniuncto. Dorsum abdominis limbo cinctum albo, anterius parum inaequali, posterius fortiter dentato, secundum medium autem paribus macularum albarum obliquarum 5 ornatum (pari postremo plerumque cum limbo albo confuso). (Pictura haec apud nos parum variare videtur: exempla, quae varietatibus β. et γ. a Cel. E. Simone descriptis respondeant, non vidimus). Cephal. ca. $1^1/_2$—$2^1/_4$ mm. lg. **1. corollatus.**

Mares.

Mandibularum latus exterius anticum non procul ab apice tuberculum format subacutum; latus posticum interius paullo pone medium dente valde magno acuto ornatur; unguis mandibulae a basi apicem versus paene aequabiliter attenuatus. Maxillae secundum latus exterius tuberculis magnis acutis piligeris instructae, quorum maxima (foras directa) in angulo antico exteriore iacent. Palporum pars tibialis aeque circiter longa atque apice lata, margine apicali adeo arcte adpresso parti tarsali, ut partes hae difficilius distinguantur. Apex bulbi genitalis paullulum ultra rostrum laminae tarsalis prominet; embolus in bulpi latere exteriore situs, prope marginem partis tibialis ei innatus, anteriora versus curvatus, longus, gracilis, usque ad bulbi apicem productus, qui e processu constat longo, porrecto, longe attenuato, acuto, subrecto, modice indurato; lateri interiori propius bulbus processu ornatur fortius indurato, prominenti, anteriora versus intus et deorsum directo, sinuato, longe attenuato (Tab. II, fig. 6 b.). Cephal. ca. $1^1/_2$—$2^1/_2$ mm. lg. **1. corollatus.**

— — — — in longitudinem aequabiliter arcuatum, latus posticum prope basim unguis tuberculo obtuso ornatum; unguis mandibulae in dimidio basali crassissimus, prope medium in latere postico superiore in tuberculum compressum obtusum dilatatus, apicem versus subito et inaequabiliter attenuatus. Maxillae sublaeves, angulo antico exteriore non prominenti, late rotundato. Palporum pars tibialis insigniter longior quam apice lata, a parte tarsali optime distincta; bulbus genitalis apicem laminae tarsalis non attingit, e ligulâ constat latâ, excavatâ, embolum recipienti gracilem, modice longum, parti exteriori bulbi innatum longe ab apice partis tibialis remotum (Tab. II, fig. 7.). Cephal. ca. 4 mm. lg. (Sec. 1 exemplum Caucasicum). **2. Paykullianus.**

Species 1. **Lithyphantes corollatus** *(Linné) 1758. „Aranea".*

Tab. II, fig. 6, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Thor. 1869. On. Eur. Sp. et 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr. — Theridium albomaculatum Hahn 1831. Arachn. — Westr. 1861. Ar. Suec. — Phrurolithus corollatus C. L. Koch 1839. Arachn.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Szerencs, Megyaszó, Szőllőske, B.-Szerdahely, Varannó, Tátra (Tolvajösvény). II. Almádi, Felcsuth, Csákvár. III. Budapest (farkasvölgy), Csepelsziget, Kecskemét, Vencsellő. IV. Jazova. V. Szamosujvár, Székely-Keresztúr. VIII. Francikovac (5. VII. 91. ♀).

Species 2. **Lithyphantes Paykullianus** *(Walckenaër) 1805. „Theridion".*

Tab. II, fig. 7: maris pars tarsalis palpi dextri.

O. Herm. 1879. — Sim. 1881. Ar. Fr. — Phrurolithus hamatus C. L. Koch 1839. Arachn. — Ph. lunatus Idem ibidem. — Ph. erythrocephalus Idem ibidem. — Lithyphantes dispar Thor. 1870—73. Rem.

V. Brassó, Lotrioravölgy (7. IV.). VI. Fiume. VII. Orehovica (iuvenis).

Genus 15. **Enoplognatha** *Pavesi 1880.*

Simon 1884. — Theridium Westring 1861. (ad partem). — Thorell 1869. (ad partem). — Zilla Thorell 1870—73. (ad partem). — Neriene Cambridge 1879. (ad partem).

Feminae.

1. Abdomen fuscum aut nigro-fuscum, concolor aut punctis albis paucis in dorso ornatum (secundum medium paribus punctorum tribus, et ad latus utrumque punctis 3 aut 2, plerumque minus distinctis). Epigynes pars postrema media sulco transverso, in utroque latere recurvato, parum profundo, a caeteris partibus distincta, lamellam format parvam, transversam, subplanam (sculptura haec parum definita et paullo mutabilis). Cephal. ca. 1·6—1·8 mm. lg., aeque fere longus atque tibia cum patellâ I. **5. thoracica.**
   Abdominis dorsum folio occupatur margines versus fusco aut nigro, medio pallidiore, mamillas non attingenti, lateribus undulatis, vittâ medianâ nigricanti angustâ abbreviatâ ornato. 2
2. Mandibulae in angulo apicali interiore et prope eum (in sulci unguicularis margine antico) dentibus duobus sat fortibus, inter se aequalibus ornatae. Epigynes pars postrema media, sulco recurvato a caeteris partibus distincta, tuberculum format parvum, transversum, supra impressione ornatum transversâ (e foveolis duabus inter se coniunctis compositâ), antice margine latiusculo subplano, postice margine acuto limitatâ (Tab. II, fig. 8.). Pedum partes pleraeque apicem versus modice late infuscatae. Cephal. ca. 1·9 mm. lg. (Sec. 1 exemplum, cum feminis, a Cel. Dre Bertkau ad Bonnam lectis et mecum benigne communicatis, formâ bene congruens, multo tamen obscurius coloratum, quod ova deposuerat; exempla Bonnensia non parum variant magnitudine: eorum cephalothorax 1·5—1·9 mm. longus est). **3. corollata.**
   Sulcus unguicularis mandibularum antice dente uno, in angulo mandibulae, ornatus. Epigyne impressione ornatur transversâ, latâ, parum definitâ, cuius pars media foveolam format profundiorem, rotundatam, plus minusve definitam, non raro materiâ quadam resinaceâ repletam; spatium foveolae huic et margini postico epigynes (qui nonnunquam medio levissime incisus est) interiectum sat latum est, subplanum aut posteriora versus adscendens, impressionibus distinctis caret. Pedum color similis atque in priore, praeterea tibiae pone basim vestigio annuli fusci ornatae. Cephal. ca. 1·1—1·7 mm. lg. **4. ambigua.**

Femina **En. maritimae**, cuius unicum vidi exemplum, nondum adultum, differt ab *En. corollata* et *En. ambigua* pedibus totis pallide coloratis (an semper?), sulco unguiculari mandibularum antice dentibus duobus inaequalibus ornato (dens in angulo situs altero circiter duplo longior est), pedibus longioribus (cephalothorax paullulum brevior est quam tibia I, neque eam cum dimidiâ patellâ aequat, ut in *En. corollata* et *En. ambigua*).

En. crucifera differt a caeteris *Enoplognathis* oculorum serie anteriore paullo recurvatâ. Cephal. ca. $2^3/_4$—3 mm. longus, abdomen similem in modum atque in *En. corollata* pictum; pedes fusco-testacei immaculati aut internodiis plerisque apice anguste infuscatis. Mandibulae in sulci unguicularis margine antico dentibus duobus armatae. Epigyne: ad rimam genitalem area parva subtransversa nigra adest, que in medio postice impressa est, hac impressione postice, in ipso margine rimae, callo parvo transverso, sat elevato, compresso, limitatâ (Sec. Cel. T. Thorellium).

Mares.

Abdominis pictura similis atque in feminis.

1. Mandibulae subter in latere interiore tantum dentibus instructae, latere superiore (sive anteriore) et latere inferiore externo inermibus. 2
   — praeter dentes in latere interiore sitos, supra et infra versus latus exterius dentibus instructae. Dens subter in latere interiore paullo pone medium situs caeteris longior est, rectus, in latere exteriore denticulis duobus, pone basim et prope medium ornatur; inter eum et apicem mandibulae adest dens multo minor (sulci unguicularis margini superiori potius quam inferiori respondens); ad basim unguiculi, intus, dorsum mandibulae dente caeteris minore ornatur; dentes duo a latere mandibulae interiore remoti, in eius dimidio apicali siti, spatiis subaequalibus ab apice distant, superus inferno minor est. Palporum pars patellaris paullo plus duplo longior quam lata, tibialis aeque longa, tarsalis paullo longior. Metatarsus I. in latere inferiore externo pilis longis, basi fortiter

incrassatis, ca. 8 instructus. Oculorum series anterior subrecta (paullulum procurva). Cephal. ca. 2 mm. lg. **1. maritima.**[1])

2. Mandibulae proiectae, earum dens superior (basi propior) validus, a basi mandibulae non evidenter longius quam ab apice remotus, basi incrassatus et in latere exteriore denticulis parvis duobus armatus, apicem versus longe attenuatus; dens apici propior non compressus, apicem versus paene aequabiliter attenuatus. Cephal. 1·5 mm. lg. (Pedum I. metatarsi subter serie duplici granulorum ornati, pilos longos graciles, basi incrassatos gerentium, — armatura haec minus insignis est quam in specie sequenti). **3. corollata.**[2])
— fere directae; earum dens superior plus duplo longius a basi quam ab apice remotus, in latere exteriore denticulis ornatus duobus, quorum alter, minor, prope basim, alter non procul ab apice situs est; dens apici propior compressus, brevis, latus, latere interiore convexo, exteriore inaequali, denticulo minuto, plus minusve distincto, ornato. Cephal. ca. 1·8 mm. lg. (Pedum I. tibiae et metatarsi subter serie duplici granulorum ornata, pilos longos, graciles, basi incrassatos, gerentium; pedum II. armatura similis, multo minus distincta). **5. thoracica.**

En. crucifera. Mandibulae similem in modum atque in *En. maritima* dentatae, dentes tamen parietis inferioris duo versus medium mandibulae siti sunt, tertius versus eius basim. Pedes armaturâ non insignes. (Oculorum series anterior paullulum recurvata?). Cephal. ca. $2^1/_2$ mm. lg. (Sec. Cel. T. Thorellium).

Mas **En. ambiguae** ignotus.

Species 1. **Enoplognatha maritima** *Simon 1884. Ar. Fr.*

III. Kecskemét. IV. Pádé.

Species 2. **Enoplognatha crucifera** *(Thorell) 1875. „Zilla?".*

Verzeichniss südrussischer Spinnen.

Zilla? crucifera Thor. 1875. Descript. — Enoplognatha crucifera Simon 1885. Matér. p. serv. à la faune des Arachnides de la Grèce.

Species haec, nobis non nota, occurrit teste Cel. E. Simone (l. c.) in Hungaria: ad I. Tokaj.

Species 3. **Enoplognatha corollata** *(Bertkau) 1883. „Drepanodus".*

Beiträge z. Kenntn. der Spinnenfauna der Rheinprovinz.

Tab. II, fig. 8: pars epigynes media posterior.

II. Várpalota, ♀ (valde obscure colorata). III. Budapest (Sashegy 1. V. 1889. ♂)?

Species 4. **Enoplognatha ambigua** *nova species? Kulczyński.*

Tab. II, fig. 9: epigyne.

Femina.

Cephalothorax circiter $^1/_4$ longior quam latus, lateribus modice rotundatis, antice sinuato angustatus; oculorum series posterior plus duplo brevior quam cephalothorax latus est (4:9), eius oculi laterales directo desuper adspecti circiter diametro suâ a cephalothoracis margine distare videntur. Dorsum partis cephalicae leviter convexum, posterius sublibratum, anterius paullo descendens,

---

[1]) Mas unicus huius speciei, quem vidi, differre videtur a maribus a Cel. E. Simone descriptis statura minore, metatarsis II. inermibus, praesertim autem oculis minus inter se remotis: intervallum oculorum mediorum posticorum *radio* non multo maius est, spatium eis et oculis lateralibus interiectum fortasse $1^1/_2$ maius, oculorum anticorum intervalla parum inter se inaequalia, diametro oculorum mediorum non maiora. Nihilominus marem hunc *En. maritimae* adnumerandum esse potius, quam pro specie propria habendum censeo. Ad oculorum situm saltem quod attinet, variant certo *Enoplognathae* non minus quam araneae aliae; oculorum magnitudo in universum mihi minus mutabilis videtur quam magnitudo corporis, ita ut in exemplis minoribus oculi non raro maiores (pro corporis magnitudine) et minus inter se remoti inveniantur, quam in eiusdem speciei exemplis staturâ maiore.

[2]) *Mas unicus in Hungaria* inventus minor est quam exempla Bonnensia a Cel. Dre Bertkau collecta; horum cephalothorax usque ad 2 mm. longus est.

cum declivitate posticâ in angulum valde latum et apice rotundatum coniungitur, adeo ut dorsum cephalothoracis totum modice inaequabiliter arcuatum dici possit; puncta summa oculorum mediorum posticorum non parum demissius sita quam cephalothoracis pars summa. Impressiones cephalicae modice profundae, latae, parum definitae; fovea ordinaria oblonga, sat profunda, parum definita, postice paullo profundior et paullo melius definita quam antice; impressiones radiantes partis thoracicae perparum definitae, vadosae. *Oculorum* series posterior leviter procurva aut paene recta, oculi subaequales, medii a lateralibus paullo longius quam inter se remoti, aut omnes spatiis paene aequalibus distantes; intervalla lateralia diametro oculorum mediorum subaequalia aut eâ evidenter minora, intervallum medium eâ parum aut circiter $^1/_3$ minus. Series oculorum anterior paullulum procurva, oculi medii (qui, nigri et in tuberculo nigro siti, difficilius observantur) lateralibus et posticis mediis subaequales (fortasse paullulum maiores); intervalla subaequalia (medium fortasse paullo maius), radio mediorum maiora, aut lateralia saltem eo evidenter minora. Area oculorum mediorum paullo angustior antice quam postice (ca. 15 : 17), postice paullulum latior, antice paullulum angustior, quam longa; clypeus sub oculis mediis eorum areâ ca. dimidio brevior, supra impressus, infra convexus, in cephalothorace directo desuper adspecto ultra oculos medios anticos non aut parum prominet. *Mandibulae* clypeo ca. $2^1/_2$ longiores, ambae simul sumptae aeque circiter latae atque longae, directae, apice parum oblique truncatae et parum rotundatae, in angulo interiore in sulci unguicularis margine antico dente mediocri (et ad eum saepe granulo minimo), in sulci eiusdem margine postico dente alio paullo minore, basi unguiculi insigniter propiore, armatae, punctis piligeris paullulum elevatis et plicis transversis parum distinctis ornatae. *Maxillae* paene parallelae, apice parum oblique truncatae; earum pars ultra labii apicem prominens aeque circiter atque labium longa; hoc paene trapezicum, lateribus paullulum rotundatis, angulis anticis rotundatis, latius quam longum. *Sternum* dense subtilissime transverse reticulatum, modice nitens, apice inter coxas IV. producto et sursum curvato. *Abdomen* ellipticum, circiter $^1/_3$ longius quam latum, aeque fere altum atque latum, dorso paullo deplanato. (*Epigynes* descriptionem vide supra, in tabulâ synopticâ).

Cephalothorax fusco-flavus, parte cephalicâ quam thoracica paullo pallidiore, marginibus lateralibus nigricantibus, saepe in lineâ mediâ partis cephalicae et utrimque lineis impressionibus cephalicis et impressionibus radiantibus (utrimque 3) partis thoracicae respondentibus, fuscis, parum distinctis, ornatus. *Mandibulae* colore cephalothoracis, *maxillae* paullo obscuriores, *labium* nigricans, *sternum* fuscum marginibus nigris, *palpi* et *pedes* flavidi, colore fusco paullulum suffusi, internodiis apice plus minusve infuscatis, tibiis pedum pone basim annulo fuscescenti, valde indistincto, saepe ornatis. *Abdominis* dorsum folio ornatum, totam fere suam latitudinem et totam longitudinem occupanti, lateribus in lobos 5 (quorum anticus saepe parum distinctus est) excisis, postice emarginato; partes folii marginales (plerumque lobi soli) nigro-fuscae sunt, dimidium anterius vittâ aut lineâ longitudinali ornatur marginem anticum non attingenti, ultra medium dorsum non aut parum productâ, nigro-fuscâ aut fuscâ, paullo inaequali, nonnunquam obsoletâ; caeterum folium lateribus abdominis non aut parum obscurius coloratum, albidum, dense pallide fusco reticulatum, in universum fusco-cinereum. Laterum abdominis et parietis antici et postici partes superiores albidae, fusco reticulatae, inferiores plus minusve abunde nigro-fusco punctatae et maculatae, obscuriores; laterum dimidium anterius vitta longitudinali nigro-fuscâ pictum. Mamillae fuscae, annulo inaequali (utrimque 3-lobato) nigro-fusco circumdatae. Venter inter epigastrium et mamillas fuscus albo maculatus, pallidior quam laterum partes adiacentes, vittâ mediâ parum latâ et maculâ mediâ, arcuatâ procurva, aut angulatâ apicibus anteriora versus et foras directis, nigricantibus aut fuscis, pictus.

Cephal. 1·1—1·7, abdomen 2·0—3·2, exempli cephalothorace 1·45 mm. longo femur I: 1·5, tibia cum patella 1·85, metatarsus 1·2, tarsus 0·7, partes pedum II: 1·3, 1·4, 1·0, 0·65, pedum III: 1·15, 1·15, 0·8, 0·6, pedum IV: 1·7, 1·85, 1·15, 0·7 mm. longae.

Obscura et dubia species. Cum feminis descriptis lectus est in monte Sashegy mas unicus, quem a mare *En. corollatae*[1]) distinguere non possum! E feminis *Enoplognatharum* palaearcticarum,

[1]) Cel. Dr. Bertkau olim suspicatus est (Bericht üb. d. wissensch. Leistungen im Gebiete d. Arthropoden während d. J. 1883.), *Enoplognatham corollatam* non diversam esse ab *En. mandibulari* (Luc.): differunt tamen ambae species inter se satis. Mandibulae maris *En. mandibularis* subter in latere interiore dentibus armantur duobus *parum inaequalibus;* dens basi propior longior quidem est (non duplo tamen), sed non crassior, gracilis, a parte inferiore adspectus basi anteriora versus directus, dimidio apicali leviter intus flexo videtur, angulus acutus, quem dens hic cum mandibula format, inermis est (sec. exemplum unicum in Gallia meridionali a Cel. C. Jelski lectum et mihi dono datum). *Enoplognathae corollatae* dens basi mandibulae propior dente altero duplo saltem longior est, basi insigniter incrassatus, in mandibula a parte inferiore adspectâ, a basi anteriora versus et paullo intus directus, prope medium attenuatus et directo anteriora versus flexus. Epigyne *En. mandibularis* non dissimilis est epigynae *En. ambiguae:* prope marginem posticum impressione ornatur transversâ, recurvatâ, parum profundâ et parum definitâ, nitidâ, medio in foveolam profundiorem et plerumque posterius utrimque ramum obliquum retro et foras directum emittentem impressâ; tota haec sculptura et parum definita et paullo mutabilis, margo posticus epigynes tamen nunquam tuberculum formare videtur, quod altius sit, quam impressionis commemoratae margo anterior, et supra, ut in *En. corollata,* foveolâ profundâ, quamquam minutâ, ornatum.

quarum abdomen similem in modum coloratus est atque in *En. ambigua*, differre videntur ab hac specie: *En. nigromarginata* (Luc.) et *En. maritima* Sim. pedibus longioribus, *En. caricis* (Fick.) areâ oculorum mediorum non latiore quam longa, *En. crucifera* (Thor.) serie oculorum anteriore recurvâ, *En. serratosignata* (L. Koch) oculis anticis mediis a lateralibus diametro suâ et inter se longius quam diametro remotis, *En. robusta* Sim. oculis anticis mediis a lateralibus multo longius quam inter se remotis, sulco unguiculari mandibularum antice dentibus duobus armato, ventre picturâ albâ carenti, caet., *En. undulata* (Westr.) clypeo aeque alto atque oculorum mediorum area longa est, cephalothorace obscure-fusco aut nigricanti (teste Cel. T. Thorellio); *En. mandibularis* (Luc.) differt oculorum mediorum areâ paullo longiore quam latâ, sulco unguiculari antice dentibus duobus ornato; *En. camtschadalicae* Kulcz. epigyne longe aliam habet formam, oculorum mediorum area non latior est quam longa. (De *En. corollata* vide tabulam nostram synopticam). *En. ambigua* fortasse maxime affinis est *En. nigrocinctae* Sim., oculi antici medii tamen lateralibus non minores mihi videntur. — Nihilominus dubium est, an nova sit species, variant enim oculi situ et magnitudine in eâ et sine dubio etiam in aliis *Enoplognatharum* speciebus.

III. Budapest (Sashegy 1. V. 1889. ♀), Kecskemét 20. IV. ♀, — 2. V. 92. ♀.

Species 5. **Enoplognatha thoracica** *(Hahn) 1831. „Theridion".*

Simon 1884. Ar. Fr. — Neriene albipunctata Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. Tolcsva, Tarczal, Széphalom, Varannó, Szinnaikő, Pop-Iván csúcs, Bártfa. III. Gödöllő. IV. Orsova (Allionhegy). V. Nagy-Baczon. VII. Buccari. VIII. Diakovár.

Genus 16. **Pedanostethus** *Simon 1884.*

Neriene Blackwall 1864. (ad partem). — Cambridge 1879. (ad part.) — Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad part.) — Walckenaëra Thorell 1869. (ad part.) — Ctenium Dahl 1886.

Feminae.[1])

1. Epigyne, praeter foveam ad marginem posticum sitam, nullâ impressione evidentiori ornata. 2
— impressione ornatâ a margine postico remotâ, transversâ aut recurvatâ, sat profundâ et latâ, parum tamen definitâ. 4
2. Margo posticus epigynes carinulam format transversam, leviter elevatam. 3
— epigynes posticus medius tuberculum format humile corneum nitidum; proxime ab hoc tuberculo epigyne foveolâ ornatur minutâ, punctiformi, profundâ, anteriora versus in sulcos duos productâ minutos, plus minusve distinctos, parallelos aut a se paullo discedentes, carinulâ humili inter se disiunctos (Tab. II, fig. 14.). In epigyne humefactâ foveola ea maculam format nigram, tarsis pedum angustiorem, minorem quam sunt bursae seminales ante eam sitae, translucentes, ab epigastrii margine postico, fusco, medio nigricanti, plerumque distinctam, rarius cum eo anguste coniunctam. Cephal. ca. 1·7 mm. lg. **5. truncorum.**
3. Epigynes fovea ad ipsum marginem posticum, qui elevatus et procurvus est, sat profunda, anteriora versus vadosa, marginibus antico et lateralibus valde indefinitis; impressionibus profundis caret fovea (Tab. II, fig. 11 a.). In epigyne humefactâ proxime a margine postico, lineolam fuscam formanti, punctum nigrum conspicitur multoties minus quam sunt bursae seminales anterius sitae, rufescentes; ad marginem posticum bursae seminalis utriusque epigyne vittâ brevi nigricanti transversâ ornatur. Cephal. ca. 1·3—1·5 mm. lg. **2. Clarkii.**
— — parum definita et formâ varians impressione profundâ ornatur plus minusve cordiformi aut rotundatâ et antice incisâ (Tab. II, fig. 13.) In epigyne humefactâ partes foveae profundiores, una cum margine postico obscure colorato, maculam formant fuscam (saepe signo **Y** nigro pictam), bursas seminales anterius sitas attingentem et eis non aut parum minorem. Cephal. ca. 1·4—1·7 mm. lg. **4. lividus.**
4. Epigynes pars postica ligulam formans brevem latam, margine leviter elevato circumdata, paullo excavata, ab impressione anteriore tubere diffuso nitido distincta; impressio anterior

[1]) *Pedanostethorum* species, praesertim feminae, difficilius inter se distinguuntur; oculorum situ et magnitudine, mutabilibus, eas distinguere mihi non contigit.

paullo recurvata, latera versus sensim evanescens (Tab. II, fig. 12 a.). Epigyne humefacta, rufo-flavida, anterius paribus linearum nigrarum, inter se parallelarum, obliquarum, foras et retro directarum, ornatur; pone lineolas paris secundi macula conspicitur nigra parva, formâ varians (in impressione anteriore sita, ab epigynes margine postico fusco insigniter remota). Cephal. ca. 2·1 mm. lg. **3. Frivaldszkyi.**

— — — non producta, leviter convexa, margine elevato caret, tuberculum format latius quam longum, a caeteris epigynes partibus sulco distinctum sat profundo, insigniter — in semicirculum fere — curvato, usque ad epigynes marginem posticum fere producto (Tab. II, fig. 10 a.). Epigyne humefacta, maximam partem pallide colorata, margine postico non obscuriore, maculâ ornatur parvâ fusco-rufâ, sulco medio respondenti. Cephal. 0·85 mm. lg. (Sec. unicum exemplum Polonicum, quod *probabiliter* huius est speciei). **1. neglectus?**

Mares.

1. Bulbus genitalis subter in dimidio basali, non procul a medio, spinâ ornatur insigniter prominenti, gracili, quae in palpo a latere exteriore adspecto subrecta videtur, deorsum et anteriora versus directa, aeque circiter longa, atque bulbi pars, quae laminâ tarsali non tegitur, crassa est; apici et lateri exteriori paullo propius bulbus unco minore corneo recurvato ornatur; prope latus exterius autem processu instructus est corneo, lateri ei subparallelo (anteriora versus et deorsum directo), plus duplo longiore quam lato, latitudine ubique subaequali, apice leviter inciso, angulo superiore acuto, inferiore obtuso (Tab. II, fig. 10 b.). Partes patellaris et tibialis formâ paullo variant; illa supra sescuplo saltem longior quam lata, haec in latere interiore brevior, in latere exteriore (una cum squamâ, in quam producta est) aeque longa aut paullo longior quam pars tibialis. Cephal. ca. 0·9—1·05 mm. lg. (Sec. exempla Polonica). **1. neglectus.**

— — subter nullâ spinâ simili, atque supra describitur, ornatus. 2

2. Lamina tarsalis — a parte interiore et paullo desuper adspecta — paullo pone basim latissima, inde apicem versus in latere inferiore (sive interiore) longe attenuatâ, latere superiore (sive exteriore) parum curvato (Tab. II, fig. 12 c.). 3

— — — — — — — — — paene parallelogramma, angulis late rotundatis: basali exteriore et apicali interiore acutis, basali interiore et apicali exteriore obtusis (Tab. II, fig. 11 b.). Palporum pars tibialis valde brevis, *dorso* plus duplo breviore quam dorsum partis patellaris, a basi ipsâ subito dilatata, ita ut latus suum interius desuper adspectum dentem formet intus et paullo anteriora versus directum, acutum, non breviorem saltem quam basi latum; latus exterius una cum squamâ parti tarsali adspressâ, in quam productum est, a latere visum non longius aut vix $^1/_4$ tantum longius quam altum. Bulbus genitalis subter prope medium unco ornatus corneo gracili recurvato (uncus hic nonnunquam, partibus aliis bulbi occultus, difficilius conspicitur); partem bulbi externam anteriorem lamella format magna, a margine apicali „partis basalis" bulbi usque ad apicem bulbi producta, margini laminae tarsalis parallela et cum eo contingens, multo longior quam lata, latitudine ubique subaequali; margo apicalis lamellae huius ita excisus est, ut denticulos duos formet: alterum in angulo antico situm, membranaceum, formâ variantem, non semper distinctum, alterum inter medium et angulum posticum situm, corneum, deorsum et anteriora versus directum. Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **2. Clarkii.**

3. Lamella partem bulbi exteriorem anticam occupans (a latere exteriore adspecta) apicem versus angustata, angulo apicali posteriore obtuso, anteriore membranaceo, producto, (cave, ne pro parte lamellae huius habeas apicem emboli, in lamellae latere interiore siti et plus minusve prominentis). (Tab. II, fig. 12 b.). Palporum pars tibialis brevis, supra in lineâ medianâ duplo circiter brevior quam dorsum partis patellaris; latus interius partis tibialis desuper adspectae dentem format intus et anteriora versus directum, breviorem quam basi latum; latus exterius, una cum squamâ, circiter sescuplo longius quam altum. Cephal. 1·7 mm. lg. (Sec. 1 exemplum). **3. Frivaldszkyi.**

— — — — — — apice non angustata, in dentes duos desinens. 4

4. Lamella supra dicta, a latere exteriore et paullo desuper adspecta, apice in angulum subrectum excisa, in dentes duos desinere videtur acutos, ita diviricantes, ut eorum latera exteriora inter se subparallela evadant. Palporum pars tibialis brevis, supra in lineâ medianâ circiter duplo brevior quam dorsum partis patellaris; eius latus interius desuper adspectum dentem format intus et anteriora versus directum, longiorem quam crassum. Cephal. ca. 1·4—1·6 mm. lg. **4. lividus.**

Lamellae, ut supra dicitur, adspectae margo apicalis in arcum latum excisus videtur, angulus apicalis posterior dentem gracilem corneum format deorsum et retro directum, angulus

anterior membranaceus (itaque formâ varians) deorsum et anteriora versus directus est. Palporum pars tibialis modice longa, suprâ in lineâ medianâ non multo brevior quam dorsum partis patellaris; eius latus interius desuper adspectum dentem format crassiorem quam longum. Cephal. ca. 1·4—1·6 mm. lg. **5. truncorum.**

Species 1. **Pedanostethus neglectus** *(Cambridge). 1871. „Neriene". Descr. of some Br. Spid.*

Tab. II, fig. 10, *a:* epigyne, *b:* maris partes tarsalis et tibialis palpi sinistri.

Neriene neglecta Cambr. 1879. Sp. Dors. — Pedanostethus neglectus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Czéke (7. VIII. 1883. unicus ♂).

Species 2. **Pedanostethus Clarkii** *(Cambridge). 1871. „Neriene". Descr. of some Br. Spid.*

Tab. II, fig. 11, *a:* epigyne, *b:* maris partes tarsalis et tibialis palpi dextri a latere interiore et paullo desuper visae.

Erigone pinguis Westr. 1861. Ar. Suec. (ad part.). — Erigone arundineti Thor. 1871. Rem. — Erigone Clarkii Thor. 1873. Rem. — Neriene Clarkii Cambr. 1879. Sp. Dors. — Neriene arundineti Id. ibid. — Pedanostethus arundineti Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely (6. VIII. 1889. ♀), B.-Szerdahely (20. VI. ♂), Széphalom (8. VI. ♀), Alsó-Meczenzéf (1. VI. ♀). III. Kalocsa, Kecskemét (11. VII. ♂). V. Tömös (24. VI. 1888. ♂).

Species 3. **Pedanostethus Frivaldszkyi** *nova species Chyzer.*

Tab. II, fig. 12, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri, *c:* partes tarsalis et tibialis palpi eiusdem a latere interiore et paullo desuper visae.

Femina.

Cephalothorax limbo partis thoracicae reticulato, caeterum sublaevis, sat fortiter nitens, latitudine $^5/_7$ longitudinis aequanti, antice sinuato angustatus, sinu paullulum ante $^1/_3$ longitudinis sito, parte cephalicâ ad palporum insertionem aeque latâ atque $^3/_4$ partis thoracicae, fronte sub oculis leviter rotundatâ, utrimque cum lateribus in arcum magnum, fortiter curvatum coniunctâ, oculorum serie posteriore ca. duplo et dimidio breviore, quam cephalothorax latus est. Dorsum partis cephalicae sat fortiter et aequabiliter convexum, prope medium altissimum, cum declivitate posticâ in arcum parum inaequabilem confluens; oculorum mediorum posticorum puncta summa insigniter demissius quam cephalothoracis pars summa sita. Fovea ordinaria ca. duplo et dimidio margini postico propior quam margini antico, sat profunda, lata, parum definita, fundo sulcum longitudinalem formanti; impressiones cephalicae sat profundae, fundo sat definito; pars cephalica utrimque foveis diffusis binis ornata, cum impressionibus cephalicis coniunctis, quarum anteriores prope lineam transversam margines anteriores coxarum I. coniungentem, posteriores prope lineam margines posteriores coxarum earundem coniungentem iacent; impressiones radiantes partis thoracicae sat profundae, diffusae, anticae aut anteriores sulciformes, posticae aut posteriores rotundatae. *Oculorum* series posterior paullulum recurvata, oculi subaequales et spatiis subaequalibus, quam diameter mediorum paullo minoribus remoti, aut medii lateralibus evidenter minores, inter se diametro suâ, a lateralibus spatio paullulum maiore distantes; series anterior leviter procurva: margines superiores oculorum lineam subrectam designant; oculi medii lateralibus minores, inter se et ab eis spatiis subaequalibus, circiter quartâ parte aut parum quam diameter sua minore remoti. Area oculorum mediorum antice insigniter angustior quam postice (ca. 3 : 4), postice latior, antice angustior quam longa. Clypeus sub oculis mediis paullo altior quam eorum area longa, non impressus, subrectus et paene directus. *Mandibulae* clypeo ca. 3-plo longiores, ambae simul sumptae paullo latiores quam longae, femoribus I. multo latiores, apice non angustatae, parum oblique truncatae, angulo interiore in sulci unguicularis margine antico in dentem acutum producto, caeterum inermes, prope basim antice et in latere exteriore sat fortiter convexae, versus angulum apicalem interiorem deplanatae; dorso valde obsolete transverse plicato, paene laeves. *Maxillae* lateribus exterioribus inter se paene parallelis (anteriora versus parum appropinquantibus), apice parum oblique truncatae; earum pars ultra labii apicem prominens aeque atque labium longa; hoc trapezicum, angulis anticis et lateribus rotundatis, basi multo latius quam longum, anteriora versus insigniter angustatum, margine apicali non elevato. *Sternum* laeve, postice breviter acuminatum. *Pedes* robusti, modice,

dense longe pilosi, aculeis rigidis carent. *Abdomen* (ovis non distentum) ovatum aut paene ellipticum, sescuplo saltem longius et paullulum humilius quam latum, dorso leviter depresso, pilis longis hirsutum. (*Epigynes* descriptionem vide supra in tabulâ synopticâ).

Cephalothorax fusco-testaceus, marginibus et impressionibus paullo obscurius coloratis, *mandibulae* et *labium* paullo obscuriora, *maxillae* fere colore cephalothoracis, *sternum* paullo pallidius, marginibus infuscatis; *palpi* et *pedes* pallidius et obscurius testacei, illorum partes tibialis et tarsalis, horum tibiae metatarsi tarsi colore rufo-fusco plus minusve suffusa (praesertim in pedibus anterioribus). *Abdomen* supra fusco-cinereum, lateribus flavo-cinereo punctatis, in quartâ fere parte et prope medium paribus duobus punctorum fusco-ruforum, colore flavido-cinereo marginatorum, in parte posteriore autem punctis flavido-cinereis compluribus in series duas transversas dispositis ornatum; tota haec pictura parum distincta; latera abdominis fusco-cinerea, dense flavido-cinereo punctata; venter flavido-cinereus.

Cephalothorax 2·1, abdomen 2·7, pedum I. femur 1·62, patella 0·65, tibia 1·4, metatarsus 1·1, tarsus 0·7, partes pedum II: 1·33, 0·6, 1·1, 0·9, 0·7, pedum III: 1·17, 0·52, 0·84, 0·84, 0·58, pedum IV: 1·56, 0·62, 1·4, 1·1, 0·75 mm. longae.

Mas parum differt a femina. *Cephalothoracis* forma paullo alia, latitudo $^3/_4$ longitudinis aequat, pars cephalica minus longa, latera enim cephalothoracis in $^2/_7$ longitudinis sinuata sunt. Dorsum partis cephalicae leviter (minus quam in feminâ) convexum, insigniter ante medium altissimum, ab oculis posteriora versus adeo parum adscendens, ut oculorum mediorum posticorum puncta summa non evidenter demissius sita sint quam dorsi pars summa; postice dorsum partis cephalicae a declivitate posticâ depressione levi distinguitur; etiam in mare tamen dorsum a margine postico usque ad oculos modice inaequabiliter arcuatum dici potest. *Oculi* seriei posticae subaequales, spatiis subaequalibus, quam mediorum diameter paullo minoribus remoti. Area oculorum mediorum evidenter quidem, sed non quartâ parte angustior antice quam postice. *Palporum* pars femoralis basi leviter incurvata, a basi ad apicem parum dilatata, non evidenter incrassata; pars patellaris ca. $1^1/_2$ longior quam lata, lateribus paene parallelis; pars patellaris supra eâ circa duplo brevior, basi insigniter angustior, apicem versus in utroque latere dilatata, apice supra in dimidio interiore transverse truncata, in latere exteriore insigniter producta, praesertim infra, et squamam formans anteriora versus et paullo deorsum directam, ad marginem pilis paucis longis, radiantibus, ornatam, cum ea longior quam dorsum partis patellaris; angulus apicalis intrerior desuper visus dentem format non longiorem quam latum. Pars tarsalis cum tibiali aeque circiter longa atque pars femoralis; lamina tarsalis a parte interiore et paullo desuper visa latere superiore parum inaequabiliter arcuato, paullo pone basim latissima, inde in latere inferiore apicem versus insigniter angustata; margo exterior laminae non procul ab apice appendice ornatur sub laminam curvatâ, in aculeum desinenti. Bulbus genitalis processibus prominentibus caret, structurâ similis atque in *Pedanostethis* aliis (caeterum confer tabulam synopticam).

Color idem atque feminae; palporum partes tibialis et tarsalis caeterum non obscurius coloratae (excepto margine apicali partis tibialis, partibus quibusdam bulbi genitalis, processu laminae tarsalis).

Cephal. 1·7, abdomen 2·2, pedum I. femur 1·55, patella 0·58, tibia 1·4, metatarsus 1·07, tarsus 0·71, partes pedum II: 1·3, 0·55, 1·07, 0·91, 0·68, pedum III: 1·14, 0·45, 0·84, 0·78, 0·58, pedum IV: 1·46, 0·58, 1·33, 1·1, 0·73 mm. longae.

Speciem hanc, ad IV. Herkulesfürdő (in valle montis „Stretku" 16. VII. 1888. ♂♀), captam in honorem Joannis Frivaldszky, Nestoris zoologorum Hungariae de fauna regni optime meriti, denominavi.

Species 4. **Pedanostethus lividus** *(Blackwall) 1836. „Neriene".*

Tab. II, fig. 13: epigyne.

Erigone pinguis Westr. 1861. Ar. Suec. (ad part.). — Neriene livida Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Erigone livida Thor. 1871—73. Rem. — Neriene livida Cambr. 1879. Sp. Dors. — Pedanostethus lividus Sim. 1884. Ar. Fr. — Kulcz. 1887. Symb. ad faun. arachn. Tirolensem. pag. 312, fig. 17, 19, 22, 24, 26.

I. S.-A.-Ujhely, Páczin, Czéke, Velejte, Bánszka, Varannó, Papina, Szinnaikő (14. VI. ♀), Körtvélyes, Eperjes (♂), Trencsén. III. Budapest (Orczykert), N.-Kőrös ♀. IV. Herkules fürdő, Ruszkabánya. V. Kolozsvár, Hátszeg ♀. VII. Buccari (VIII. ♀). VIII. Velebit ♂♀, Risnjak (in altitudine 1000—1500 m. ♀).

Species 5. **Pedanostethus truncorum** *(L. Koch) 1872. „Erigone".*

Beitrag zur Kenntn. d. Arachnidenfauna Tirols, II. Abhandl.

Tab. II, fig. 14: epigyne.

Pedanostethus truncorum Kulcz. l. c. pag. 314, fig. 18, 20, 21, 23, 25.

Characteres, quibus a *P. livido* differt, cf. loco supra citato.

V. Biharfüred (22. VIII. 1890. ♀), N.-Szeben.

Genus 17. **Lathrodectus** *Walckenaër 1805.*

Thorell 1869. — Latrodectus Simon 1881.

L. tredecimguttatus. Abdomen fuscum aut nigrum, maculis albis aut rubris ornatum: antice arcu recurvo, inaequali, plus minusve interrupto, in latera producto, supra maculis in series tres longitudinales ordinatis, quarum lateralis utraque e maculis 4 constat, media e maculis circiter 8, postremis 3 aut 5 inter se coniunctis et plus minusve confusis; ad mamillas utrimque puncta parva 2; venter pone epigastrium et ante mamillas fasciis transversis ornatus, inter se saepe late coniunctis. Maculae hae saepe omnes aut fere omnes evanescunt (in var. *lugubri* Duf.). Epigyne ad marginem posticum foveâ ornatur transversâ, pluries latâ quam longâ, profundâ. Palpi maris breves; pars patellaris aeque paene lata ac longa, lateribus subparallelis; tibialis eâ brevior, a basi ipsâ fortiter dilatata, fortius in latere exteriore quam in interiore, margine apicali parti tarsali adpresso; lamina tarsalis apice multo latior quam longa, a basi apicem versus dilatata, apice transverse truncata, angulo apicali interiore in processum longum angustum pilosum producto; bulbus genitalis apice stylo longissimo, circiter quater in circulum curvato, instructus. Cephal. maris ca. $2^1/_4$, feminae ca. $4^1/_2$ mm. lg. (Sec. pauca exempla Dalmatica).

Species 1. **Lathrodectus tredecimguttatus** *(Rossi) 1790. „Aranea".*

Meta hispida C. L. Koch 1836. Arachn. — Lat(h)rodectus 13-guttatus Id. 1838. ibid. — Thor. 1873. Rem. — Sim. 1881. Ar. Fr.

VII. Buccari (unicam ♀ rubro punctatam sub lapide legit. Prof. Damin), Zeng (unicum exemplum iuvenile albo punctatum ad pedem castri „Nehaj" in plantis legit Dna Chyzer 2. VII. 1891.).

Genus 18. **Pholcomma** *Thorell 1869.*

Cambridge 1879. — Simon 1881. — Dahl. 1886. — Erigone Westring 1861. (pro parte).

Ph. gibbum. Totum coloribus rubicundis, pallidioribus et obscurioribus, pictum, 1·2—1·5 mm. longum. Epigyne margine postico paullulum producto et elevato, medio late non profunde exciso. Palporum maris partes patellaris et tibialis breves, pars tarsalis eis simul sumptis multo longior et latior, bulbus genitalis stylo ornatus nigro gracili longo, dimidio apicali prope latus exterius innato, bulbo adpresso, primo retro curvato, bulbi basim fere attingenti, tum intus et anteriora versus flexo, bulbi partem anticam interiorem attingenti.[1])

Species 1. **Pholcomma gibbum** *(Westring). 1851. „Erigone". Förteckning öfver de.... i Sverige förekommande Spindelarter.*

Erigone gibba Westr. 1861. Ar. Suec. — Pholcomma gibbum Thor. 1871. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1881. Ar. Fr. — Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj.

---

[1]) Palpus feminae *Pholcommatis gibbi* non est inermis: ungue armatur gracili, denticulis minutis duobus ornato.

Genus 19. **Comaroma** *Bertkau 1889.*

Correspondenzblatt des Naturhistorrschen Vereins d. preussischen Rheinlande und Westfalens, No. 2.

C. Simonii. Oculi distincti 6; antici medii exstincti[1]; caeteri magnitudine et situ paullo variare videntur, medii postici lateralibus, qui inter se contingunt et subaequales sunt, modo evidenter minores sunt et ab eis distincti, quamquam spatiis parvis remoti (♀), modo eis subaequales et anticis magis approximati (subcontingentes) quam posticis; oculi postici inter se aut spatiis subaequalibus (♀) aut medii inter se evidenter longius quam a lateralibus distant.

Femina. Dorsum cephalothoracis arcum modice inaequabilem format, oculi medii postici insigniter demissius siti sunt quam dorsi pars summa. Clypeus altior quam area oculorum longa, mandibulae paullo longiores quam facies alta. Cephalothorax laevis, sternum punctis magnis impressis ornatum. Labium cum sterno connatum, immobile. Ventris pars anterior maior scuto tecta corneo lateribus rotundatis, posteriora versus insigniter angustato, margine postico utrimque in lobum brevem producto; paullo pone medium scutum foveolis ornatur duabus parum definitis, inter se minus quam a margine postico remotis, et pone eas punctis nigricantibus duobus (Tab. II, fig. 15 a.); scutum hoc etiam parietem anticum abdominis occupat, in eo tamen minus definitum est. Mamillae annulo corneo circumdatae, caetera cutis abdominis grosse impresso-punctata, lamellulis corneis permultis, punctis respondentibus, inaequalibus ornatur; dorsum deplanatum, latera in longitudinem crasse plicata (cutis dorsi fortasse fortius indurata est quam laterum cutis, scutum definitum tamen formare non videtur).

Mas feminae similis, ab ea mandibulis quam facies non longioribus et scutis abdominalibus praesertim differre videtur: dorsi pars maxima scuto indurato tegitur optime definito, marginibus lateralibus limbum leviter elevatum formantibus; scutum ventris partem anteriorem et parietem anticum abdominis tegens etiam in hoc pariete bene definitum, formâ eadem atque in feminâ, foveolis tamen duabus inter se paullo longius quam a margine postico remotis ornatum (puncta nigra desunt). Palporum pars patellaris paullulum brevior quam lata; pars tibialis in latere interiore in squamam obtusam producta, cum eâ longior quam pars patellaris; pars tarsalis paullo longior quam pars femoralis, lamina tarsalis desuper adspecta latere interiore subrecto, exteriore convexo, apice oblique truncata et paullulum emarginata, angulis obtusis, interiore longius producto; bulbus insigniter prominens, a latere adspectus subter prope medium dente brevi procurvo ornatur, processibus duobus longis, nigris, acutis, apicem bulbi attingentibus, instructus est, altero (embolus) in latere interiore sito, prope eius medium innato, secundum marginem laminae tarsalis curvato, altero non procul a bulbo medio innato, in arcum intus curvatum flexo (Tab. II, fig. 15 b.). Longitudo ♂ et ♁: 1·6 mm. (Sec. duo exempla a Cel. Dre Bertkau benigne communicata).

Species 1. **Comaroma Simonii** *Bertkau 1889. l. c.*

Tab. II, fig. 15, *a:* feminae abdomen a parte inferiore visum, *b:* maris partes tarsalis et tibialis palpi dextri.

Occurrit haec species in Hungaria teste Cel. E. Simone (cfr. Bertkau l. c. pag. 8.).

Genus 20. **Tapinopa** *Westring 1851.*

Westring 1861. — Thorell 1869. — Cambridge 1879. — Simon 1884. — Linyphia Blackwall 1864. (ad partem).

T. longidens. Cephalothorax utrimque vittâ submarginali nigricanti latâ diffusâ ornatus. Abdominis dorsum pallide fuscum, plus minusve albo punctatum, paribus macularum nigricantium 4 et posterius angulis fuscis inter se plus minusve confusis pictum (pictura haec non parum variat). Pedes plerumque obsolete annulati aut paene concolores, raro distinctissime nigro maculati. Mandibulae in sulci unguicularis margine antico dentibus ca. 6 instructae, gracilibus, eorum medii valde longi, caeteri gradatim minores. Epigyne tuber format insigniter deorsum prominens, quod a latere adspectum basi angustius est quam apicem versus, apice late rotundatum, a parte inferiore visum latius quam longum; paries anticus tuberis convexus, posticus fere totus in foveam excavatus marginibus corneis circumdatam, membranâ albâ repletam, scapo dimidiatam ex apice tuberis exeunti, basi angusto,

---

[1]) An constanter et perfecte? Inter oculos anticos in mare granulum convexum glabrum minutum vidi, non in linea mediana sed oculo dextro propius situm, in femina granulum adhuc minus distinctum prope oculum sinistrum, et prope dextrum maculam parvam nigricantem; an oculorum deletorum residua?

tum dilatato et convexo, iterum angustato et in foveam inflexo; apex scapi ad tuberis basim situs, paullo dilatatus, recurvatus, incisus (Tab. II, fig. 16.). Maris palpi parte patellari aeque circiter latâ atque longâ, parte patellari parum breviore, processibus carenti, laminâ tarsali prope basim processu ornatâ longitudine partem tibialem superanti, retro et sursum directo, foras paullo curvato, paene cylindrico, apice in dentes duos inaequales diviso. Cephal. maris ca. 2—2·2, feminae ca. 1·8—2·3 mm. lg.

Species 1. **Tapinopa longidens** *(Wider) 1834. „Linyphia". Zool. Misc.*

Tab. II, fig. 16: epigyne a parte posteriore visa.

Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia longidens Bl. 1864. Sp. Gr. Br.

I. Sárospatak, Czéke, Varannó, Zboró (iuv.), Csorbaitó. II. Várpalota, Felcsuth, Almádi, Velencze.

Genus 21. **Floronia** *Simon 1887.*

Linyphia Westring 1861. (ad part.). — Blackwall 1864. (ad part.). — Thorell 1869. (ad part.). — Cambridge 1879. (ad part.) — Frontina Simon 1884.

Fl. frenata. Cephalothorax utrimque vittâ submarginali nigricanti ornatus. Epigyne tuber format parum altum, latius quam longum, antice in longitudinem impressum, apice paullo oblique late truncatum et in foveam excavatum magnam, subsemicircularem, marginibus acutis circumdatam. Fovea scapo dimidiatur e margine antico exeunti, parum lato, in longitudinem inaequabiliter arcuato, postice in foveam descendenti, ibi subito reclinato; pars reclinata, insigniter dilatata, apicem versus sinuato-angustata, summo apice rotundato, marginem posticum medium foveae format et paullo prominet (Tab. II, fig. 17.). Maris pars cephalica insigniter elevata, longe pilosa; palporum pars femoralis fusiformis; apex partis patellaris angulo superiore exteriore producto, pilum crassum compressum, apice oblique truncatum, gerenti; pars tibialis patellari paullo brevior, supra dentibus nigris brevibus duobus ornata, in latere exteriore pilo instructa crasso, non procul ab apice subito attenuato. Cephal. feminae ca. 1·8—2, maris ca. 2·2 mm. lg.

Species 1. **Floronia frenata** *(Wider) 1834. „Linyphia". Zool. Misc.*

Tab. II, fig. 17, epigyne.

Theridium pallidum C. L. Koch 1836. Arachn. — Linyphia frenata Westr. 1861. Ar. Suec. — Bl. 1864. Sp. Gr. Br. — Thor. 1870. Rem. — Frontina bucculenta Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Királyhelmecz, Széphalom, Varannó, Komarócz, Radvány. V. Püspök fürdő (16. VIII. 1890. ♀).

Genus 22. **Bolyphantes** *(C. L. Koch) 1837.*

Simon 1884. — Linyphia Westring 1861. (ad partem). — Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.).

Feminae.

Cephalothorax flavus, lineâ mediâ angustâ nigrâ ornatus, marginibus nigricantibus aut (in *B. alticipite* non raro) concoloribus. Epigynes paries inferior fissuris duabus subparallelis e margine postico exeuntibus in partes tres divisus, quarum media (sive pars basalis scapi complicati) lateralibus non aut parum longior est. Partem epigynes postremam apex scapi format rotundatus.

Area oculorum mediorum convexa, non angulata. Scapi pars basalis non longior quam lata, lateribus parallelis aut apicem versus leviter dilatata, apice truncato aut leviter exciso (Tab. II, fig. 19.). Cephal. ca. 1·5—1·6 mm. lg. **2. luteolus.**

— — — in angulum latum quidem, manifestum tamen elevata (cephalothoracem a latere adspicias!). Scapi pars basalis longior quam lata, apicem versus leviter dilatata, apice rotundata aut saepius incisa (Tab. II, fig. 18 a.). Cephal. ca. 1·5 mm. lg. (Species haec difficilius distinguitur a priore). **1. alticeps.**

Mares.

Palporum pars femoralis — a latere adspecta — leviter fusiformis: paullo pone medium crassior quam apice; margo apicalis partis patellaris supra in medio in processum productus brevem, setam crassam, apice oblique truncatam aut angustatam gerentem; pars tibialis aeque circiter longa atque patellaris; paracymbium ad angulum basalem inferiorem dente brevi nigro instructum, paries paracymbii exterior latus, in palpo desuper et a latere exteriore adspecto apice late excavatus, dentes duos format magnos, parum inaequales, alterum foras et anteriora versus directum, apice obtusum, alterum foras et retro directum, acutum.

Pars cephalica fortiter elevata; area oculorum mediorum conum format anteriora versus et sursum directum; series oculorum anterior adeo procurva est, ut linea per margines inferiores oculorum mediorum et per margines superiores lateralium ducta insigniter deorsum curvata evadat. Seta patellaris palporum compressa, apicem versus paullo dilatata et margine superiore denticulata, apice longe attenuata (Tab. II, fig. 18 b.). Cephal. ca. 1·8 mm. lg. (una cum parte anticâ prominenti; reverâ minor est quam in *B. luteolo*). **1. alticeps.**

— — modice elevata, area oculorum mediorum leviter angulata, declivis; linea supra dicta, per margines oculorum ducta, leviter recurva; seta patellaris palporum apicem versus non dilatata, apice a latere adspecto breviter acuminato, desuper adspecto oblique truncato et leviter denticulato. Cephal. ca. 1·7 mm. lg. **2. luteolus.**

Species 1. **Bolyphantes alticeps** *(Sundevall) 1833. „Linyphia".*

Tab. I. fig. 18. *a*: epigyne, *b*: maris palpus dexter.

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia alticeps Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1881. Sp. Dors.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Csorbaitó, Tátra (Kriván), Tátrafüred. V. Biharfüred.

Species 2. **Bolyphantes luteolus** *(Blackwall) 1833. „Linyphia" Characters of some undescribed Species of Arachn.*

Tab. II, fig. 19: epigyne.

Sim. 1884. Ar. Fr. — Bolyphantes alpestris C. L. Koch 1841. Arachn. — Linyphia affinis Westr. 1861. Ar. Suec. — L. alticeps Bl. 1864. Sp. Gr. Br. — L. luteola Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. Tokaj, Torna, Igló, Tátra (Kriván és nefczeri völgy), Csorbaitó. V. Borszék.

Genus 23. **Drapetisca** *Menge 1866.*

Simon 1884. — Linyphia Westring 1861. (ad partem). — Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.).

D. socialis. Cephalothorax marginibus nigricantibus, vittâ mediâ inaequali, antice furcatâ, et utrimque non procul a marginibus maculis 4 fuscis aut nigricantibus ornatus. Pedes annulati. Epigyne processum format latum, apicem versus subito angustatum, transverse rugosum, deorsum et retro directum, postice in lamellam excurrentem corneam, plus duplo longiorem quam latam, lateribus subparallelis, apice truncatam, angulis rotundatis, a basi retro et deorsum directam, posterius sublibratam aut paullo adscendentem. Maris palpi parte tibiali breviore quam pars patellaris; lamina tarsalis margine exteriore ad basim in dentem foras directum brevem producto, basi ad angulum interiorem in uncum elevata crassum, obtusum, sursum et paullo retro directum, foras curvatum. Cephal. feminae ca. 1·6, maris 1·7 mm. lg.

Species 1. **Drapetisca socialis** *(Sundevall) 1833. „Linyphia".*

Sim. 1884. Ar. Fr. — Meta tigrina C. L. Koch 1845. Arachn. — Linyphia socialis Westr. 1861. Ar. Suec. — Bl. 1864. Sp. Gr. Br. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. S.-A.-Ujhely, Szőllőske, Velejte, Varannó, Homonna, Roskócz, Szinna, Tátrafüred, Szepes-Béla, Tátra (Javorina), Csorbaitó, Nagy-Rőcze. II. Kám, Felcsuth. V. Biharfüred, Rézbánya (24. VIII. ♀). VIII. Mrzla vodica (12. VIII. ♂).

Genus 24. **Stemonyphantes** *Menge 1866.*

Linyphia Westring 1861. (ad partem). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Simon 1884. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.).

S. bucculentus. Cephalothorax vittâ media angustâ nigricanti ornatus, marginibus nigricantibus. Tibiae anteriores subter ad latus utrumque aculeis 3 aut 4 armatae, supra et in lateribus aut in uno latere aculeis tenuibus instructae. Epigyne ultra epigastrii marginem non prominens, ad marginem posticum foveolis ornatur duabus, anteriora versus inter se appropinquantibus, triangulum nitidum includentibus. Maris metatarsi I. leviter dilatati, deplanati, desuper adspecti paullo fusiformes; palporum pars patellaris circiter duplo longior quam lata, apicem versus dilatata; pars tibialis eâ brevior, apice supra oblique truncata, in latere exteriore incisa, subter unco procurvo instructa (qui uncus, inter paracymbium et partem bulbi postremam situs, difficilius conspicitur); lamina tarsalis angusta, apicem versus longe attenuata, prope basim ad latus exterius sive superius dente obtuso insigniter prominenti ornata, ante eum, margini exteriori propius tuberculo minus prominenti instructa; paracymbii pars inter dentem illum et apicem partis tibialis sita tuber format oblongum obliquum; bulbi genitalis pars postica interior (sive inferior) processu longo ornata foras curvato, usque ad paracymbium producto (Tab. II. fig. 20 a, b). Cephal. feminae 1·8—2·5, maris 2—2·3 mm. lg.

Species 1. **Stemonyphantes bucculentus** *(Clerck) 1757. „Araneus".*[1])

Tab. II, fig. 20 *a:* maris partes tibialis et tarsalis palpi sinistri, *b:* palpi eiusdem pars tibialis et basis partis tarsalis (pt. = pars tibialis, pc. = paracymbium, lt. = lamina tarsalis, pb. = processus basalis bulbi genitalis).

Linyphia bucculenta Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Linyphia lineata Sim. 1884. Ar. Fr. — Theridion reticulatum Hahn 1834. Arachn. — Bolyphantes trilineatus C. L. Koch 1841. Arachn. — Neriene trilineata Bl. 1864. Sp. Gr. Br.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Szerencs, Szőllőske, Suliguli, Kabola Polyána, Torna, Szín, Körtvélyes, Eperjes. III. Kalocsa, Debreczen. IV. Langenfeld. V. Zilah, Kolozsvár, Borszék, Hátszeg. VII. Crkvenica. VIII. Velebit.

Genus 25. **Linyphia** *(Latreille) 1804.*

Westring 1861. (ad partem). — Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Simon 1884. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.).

Feminae.

1. Epigyne processu instructa valde longo, circiter medium ventrem attingenti, pluries longo quam lato, lateribus maximam partem parallelis, apice leviter emarginato. Abdominis dorsum flavido cinereum, in dimidio posteriore angulis paucis fuscis pictum aut picturâ evidentiori carens. Pedum omnium femora inermia. Cephal. ca. 1·7—2 mm. lg. **13. insignis.**

---

[1]) A. Menge nomen *bucculenti* (Clerck) huic speciei ab Auctoribus Suecicis attributum reiecit et demonstrare conatus est, *Aranei bucculenti* descriptionem et figuram melius cum *Floronia frenata* quam cum *Stemonyphante bucculento* congruere. Qua in re A. Mengeum secutus est Cel. E. Simon. — Cel. T. Thorell ostendit (Remarks on Synonyms) argumenta a Mengeo allata non satis esse firmia. Accedit, quod A. Mengeo non recte pedes antici in figura Clerckii caeteris longiores videbantur; ex contrario, pedes quarti paris in figura ea longiores sunt quam pedes antici (pes IV. dexter saltem longior est quam dexter I., et sinister IV. longior sinistro I). Pedes postici et antici in *Stemonyphante* parum inter se longitudine differunt, differunt insigniter in *Floronia;* itaque probabilius videtur Clerckium in pedibus *Stemonyphantae* metiendis erravisse, quam *Floroniae frenatae* pedes posticos anticis longiores depinxisse. — Quod *Araneus bucculentus* „in arbore" (quo situ, non dicitur) inventus est, rem non dirimit; unum solum enim exemplum Clerckius invenit, non in reti quidem; in ramos sublimes *Floronia* ascendere non videtur, in demissis non ea sola sed probabiliter etiam *Stemonyphantes* inveniri potest, qui in Suecia teste N. Westringio *in plantis altioribus nemoralibus* et ad radices earum et gramimum . . . . occurrit. — Nominis *bucculenti* originem A. Menge a parte cephalica inflata crassa *Floroniae,* Cel. E. Simon a sulco unguiculari dentibus longis armato ducit, sed femina *Floroniae* (quam solam novit Clerckius) non magis est „bucculenta" quam *Stemonyphantes,* et araneam dentibus longis insignem (qua re caeterum *Floronia* parum excellit) Clerckius probabiliter non „bucculentam" appellaverit.

Epigynes processus, si adest, parum longus, medium ventrem longe non attingens. . . . 2

2. Pedum omnium femora inermia. 3

— femora aculeata. 4

3. Epigyne postice foveâ ornatur profundâ transversâ, semicirculari aut triangulari angulis rotundatis; cum foveae margine superiore (sive posteriore) ligula coniungitur brevis rotundata (Tab. II, fig. 22 a.). Partis thoracicae margo limbum format paullo elevatum et insigniter pallidius quam caeterae partes cephalothoracis coloratum. Cephal. ca. 1·6—2·2 mm. lg. **5. marginata.**

— — foveolis duabus ornata, inter se septo lato e pariete epigynes inferiore (anteriore) exeunti, disiunctis (epigynes fovea magna, transversa, magnam aut maximam partem lamellâ repletur convexâ, pallidâ, cum suo margine anteriore connatâ) (Tab. II, fig. 23 a.). Partis thoracicae margo neque elevatus neque colore a caeteris cephalothoracis partibus evidenter distinctus. Cephal. 1·3—2 mm. lg. **7. frutetorum.**

(Var. punctiventris differt a formâ typicâ ventre pone epigastrium utrimque puncto albo picto et staturâ minore: cephal. ca. 1·3 mm. lg.; formae typicae cephalothorax ca. 1·5—2 mm. longus, venter totus niger est. Occurrunt exempla ventre in alterâ parte puncto albo notato, in alterâ nullo).

4. Pedum femora nigro punctata. Epigyne foveis duabus ornata septo inter se disiunctis parum lato, posteriora versus in processum producto corneum, longitudine circiter mamillas aequantem (Tab. II, fig. 21.). Cephal. ca. 2 mm. lg. **1. phrygiana.**

— — non punctata. 5

5. Dorsi abdominis, quod album est, pictura e vittâ constat angustâ fuscâ aut nigrâ, plus minus lanceolatâ, marginibus plus minusve inaequalibus, dimidium anterius occupanti, et e maculis quatuor in dimidio posteriore sitis, nigris, transversis, quam vitta anterior multo latioribus, posteriora versus gradatim minoribus, rectangularibus fere et plus minusve evidenter in angulum latum fractis; e maculis his posteriores inter se plus minusve coniunctae aut confusae sunt. Cephalothorax plerumque picturâ evidentiori caret. Epigyne foveâ ornatur transversâ (formâ paullo varianti), nullo septo evidentiori dimidiatâ; foveae margo posterior (superior, cum ventre contingens) medio in apiculum breve angustum productus. Cephal. ca. 2—2·3 mm. lg. **4. emphana.**

— — pictura alia; si e vittâ anterius sitâ angustiore et e maculis latioribus, dorsi dimidium posterius occupantibus, constat, maculae hae triangulares sunt aut transverse rhombicae. 6

6. Pedes annulati. Tibia cum patellâ I. longior quam IV. Femora omnia aculeis pluribus armata. Epigyne foveâ ornatur profundâ, semicirculari aut late ellipticâ transversâ, margine antico (inferiore) medio non depresso, postico (superiore) angulum latum, apice rotundatum, formanti. Cephalothorax fuscus picturâ evidentiori caret, aut pallidior, marginibus infuscatis et vittâ mediâ fuscâ, antice dilatatâ et diffusâ ornatur, ca. 3—3·5 mm. lg. est. **2. montana.**

— non annulati; rarius annulati, tibia cum patella I. tum non longior est quam IV., et cephalothorax longitudine 2 mm. non excedit. 7

7. Cephalothorax in fundo pallide colorato lineâ mediâ fuscâ aut nigricanti, in parte cephalicâ furcatâ, ornatus. Pedum omnium aut saltem I. et IV. aculeis pluribus armata. Epigynes fovea profunda, subsemicircularis, margine posteriore medio in ligulam producto deorsum directam, aeque circiter longam atque latam. Cephal. ca. 2—2·6 mm. lg. **3. triangularis.**

— saepissime picturâ definitâ caret, rarius vittâ mediâ distinctâ, antice dilatatâ ornatur, pedum IV. femora tum aculeis singulis armantur aut inermia sunt, aut margo posticus foveae epigynes angulato dilatatus ligulam definitam non format. 8

8. Femora IV. aculeis 2 aut 3 armata. Epigyne similis atque in *L. montana.* Dorsum abdominis fere totum areâ occupatur latâ, obscure coloratâ, pallide fuscâ, colore nigro-fusco pictâ. Venter fuscus aut niger, maculis albidis pictus. Cephal. ca. 1·5—1·8 mm. lg. **11. clathrata.**

— — aculeis singulis armata aut inermia. 9

9. Oculi medii postici tuberculis parum definitis innati, itaque paullulum elevati, ab oculis lateralibus posticis non longius saltem quam inter se remoti. 10

— — — non elevati, ab oculis lateralibus posticis paullo longius quam inter se remoti. Abdominis dorsum album vittâ ornatur totam fere longitudinem occupanti, aeque circiter atque frons aut oculorum area latâ, lateribus inaequalibus, anterius fuscâ posterius nigrâ, aut totâ fuscâ et anterius maculis albidis per paria dispositis contaminatâ. Venter fuscus aut niger, ad epigastrium fasciâ transversâ albidâ, prope mamillas maculâ albidâ notatus, inter has maculas saepe pallidior quam in lateribus. Epigyne parum elevata, postice foveâ

ornata semicirculari aut angustiore; margo foveae posticus medius in ligulam subrotundam, deorsum directam, productus. Femora II. plerumque aculeis 2 (in dorso et in latere antico), III. et IV. aculeis singulis armata. Cephal. ca. 1·2—1·8 mm. lg. **6. peltata.**

10. Epigyne, insigniter elevata, foveâ ornatur magnâ, profundâ, transversâ, late ellipticâ aut fere semicirculari; foveae margo posterior, angulatus, apice rotundato, nullam ligulam definitam format, marginem foveae anticum longe non attingit (Tab. II, fig. 27.). Abdomen maximam partem obscure coloratum; area dorsualis fusca aut nigra, totam fere dorsi latitudinem occupans, ab abdominis partibus lateralibus et ventre — nigris — maculis albis, forma et numero variantibus, vittam continuam non formantibus, distincta. Pedum praesertim anteriorum, femora colore fusco plus minusve picta. Cephal. ca. 1·5 mm. lg. **12. furtiva.**
— modice aut parum prominens; eius fovea modo angusta (nonnunquam difficilius conspicitur), modo ligulâ e margine postico exeunti (formâ variâ) aut etiam septo marginem anticum cum postico coniungenti, dimidiata. Abdominis dorsum aut album vittâ definitâ fuscâ et nigricanti ornatum, aut colore albo et fusco-nigro varium in modum pictum. . . 11

11. Epigynes fovea septo angusto et ligulâ definitâ, angustâ, e margine postico exeunti, deflexâ, in foveolas duas rotundatas, late apertas, inter se proximas, divisa (Tab. II, fig. 24.). Abdominis dorsum album vittâ longitudinali, fuscâ et nigricanti, latâ, latitudine circiter oculorum aream aequanti, lateribus crenatis, totam fere dorsi longitudinem occupanti, pictum. Abdominis dimidium inferius nigrum. Cephal. ca. 2 mm. lg. **8. hortensis.**
Epigyne foveis late apertis, rotundatis, caret, aut foveae, si adsunt, late inter se distant: processu distinctae ex epigynes pariete posteriore exeunti, lato, apice truncato (in *L. impigra;* — epigynen a parte posteriore adspicias!). Abdomen pictura valde variat. 12

12. Venter niger. Cephalothorax pallidius aut obscurius fuscus, marginibus obscurioribus, vittâ mediâ distinctâ caret. Cephal. ca. 1·5 mm. lg. (Tab. II, fig. 25 a.). **9. pusilla.**
— albo maculatus. Cephalothorax fusco-flavidus, marginibus et vittâ mediâ fuscâ, antice dilatatâ (indistincte furcatâ) ornatus. Cephal. ca. 1·5 mm. lg. (Sec. perpauca exempla). (Tab. II, fig. 26 a.). **10. impigra.**

Mares.

1. Mandibularum dorsum paullo infra medium ad latus exterius dente forti, deorsum directo, ornatum, inter eum et angulum apicalem interiorem dente plerumque minore, ad basim mediam autem tuberculo ornatum. Cephal. ca. 2 mm. lg. **4. emphana.**
— — dente prope medium, ad latus exterius sito caret. 2

2. Palporum pars tibialis dente forti, foras et anteriora versus directo, ornata. Pars patellaris inermis. Paracymbium complicatum, basi dente forti nigro, foras directo, leviter procurvo (et ante eum dente minore pallido) instructum. Femora omnia inermia. Cephal. ca. 1·8 mm. lg. **13. insignis.**
— — — inermis. 3

3. Palporum pars patellaris in latere exteriore processu instructa, quam est ipsa paullo longiore, anteriora versus et paullo foras directo, apicem versus leviter attenuato, leviter incurvato. Pedum femora nigro punctata, omnia aculeata. Cephal ca. 2 mm. lg. **1. phrygiana.**
— — — formâ vulgari. 4

4. Pedum omnium femora inermia. 5
— saltem 6 anteriorum femora aculeata. 6

5. Paracymbium longum, gracile, fortiter curvatum. Pars bulbi angulum internum posticum occupans secundum totam suam longitudinem margini interiori laminae tarsalis parallela, anteriora versus sensim dilatata, paullo ante apicem ramum emittit foras directum, brevem, marginem exteriorem laminae tarsalis longe non attingentem (Tab. II, fig. 22. b.). Margo partis thoracicae limbum format plus minusve conspicuum, leviter elevatum et pallidiorem, quam sunt caeterae partes cephalothoracis. Cephal. ca. 2—$2^1/_2$ mm. lg. **5. marginata.**
— parum longum, sat latum, subrectum. Bulbus genitalis taeniâ ornatus ad angulum suum interiorem posticum in calcar acutum desinenti, ante medium bulbum subito foras flexa, marginem exteriorem laminae tarsalis plus minusve attingenti, secundum marginem hunc anteriora versus curvatâ, usque ad apicem bulbi productâ. Bulbus praeterea stylo longo tenui instructus (Tab. II, fig. 23 b.). Cephalothoracis, qui 1·3 (in var. *punctiventri*) —1·8 mm. lg. est, margo limbum elevatum non format. **7. frutetorum.**

6. Bulbus genitalis stylo longissimo, gracili, instructus, fere ex apice suo exeunti, foras et retro curvato, basim suam attingenti et inde usque ad apicem suum (in latere interiore) producto. (Stylus hic non raro distortus invenitur). 7
— stylo simili, atque supra describitur, caret. 8

7. Palporum pars tibialis apicem versus leviter et paene aequabiliter dilatata, insigniter longior quam apice lata (desuper adspecta!). (Tab. II. fig. 25 b.). Mandibularum basis in latere exteriore angulata, tuberculum distinctum non format. Cephalothorax, pallidius aut obscurius fuscus, picturâ evidentiori caret, ca. 1·5—1·8 mm. longus est. **9. pusilla.**
— — — desuper visa apicem versus fortiter campanulato dilatata, non longior saltem quam lata (Tab. II, fig. 26 b.). Mandibularum dorsum in angulo basali exteriore tuberculo distincto ornatum. Cephalothorax laete flavo-rufus, vittâ fuscâ antice leviter dilatatâ et plus minusve distincte furcatâ pictus, ca. 1·5—1·7 mm. lg. (Sec. 2 exempla). **10. impigra.**

8. Femora I, praeter aculeos in dorso sitos, in latere antico aculeis 3 saltem armata; caetera femora omnia aculeis pluribus quam 1 instructa. Pedes annulati *(L. montana)* aut cephalothorax vittâ fuscâ angustâ, antice furcatâ, ornatus *(L. triangularis)*. 9
Latus anticum femoris I. aculeo 1 aut 2 ornatum. 10

9. Pedes annulati. Cephalothorax pallidius aut obscurius fuscus, picturâ evidentiori carens. Mandibulae in $^2/_3$ longitudinis saltem inter se subcontingentes et subcylindratae, inferius oblique truncatae itaque subito attenuatae. Cephal. ca. 3—3·5 mm. lg. **2. montana.**
— non annulati. Cephalothorax pallide coloratus, vittâ mediâ angustâ nigricanti, antice furcatâ (et vittâ submarginali) ornatus. Mandibulae basi tantum inter se contingunt, caeterum a se discedunt et longe attenuatae sunt. Cephal. ca. 2—3·5 mm. lg. **3. triangularis.**

10. Mandibulae dorso, praesertim in parte exteriore, granulato, angulo basali interiore tuberculum non formanti, tuberculo in summâ basi mediâ instructae, apice oblique truncatae et in angulo dente forti nigro armatae. Femora pedum 6 posteriorum aculeis singulis armata. Cephal. ca. 2—2·3 mm. lg. **8. hortensis.**
— non granulatae. 11

11. Mandibulae in angulo basali interiore tuberculo ornatae. Oculi posteriores medii a lateralibus non longius quam inter se remoti. 12
Angulus basalis interior mandibularum in tuberculum non elevatus. Oculi posteriores medii a lateralibus plus minusve (in exemplis staturâ maiore duplo fere, in parvis nonnunquam parum) longius quam inter se remoti. Femora II. aculeis 2 aut 3, III. et IV. aculeis singulis armata (an semper?). Cephal. ca. 1—1·6 mm. lg. **6. peltata.**

12. Lobus medianus bulbi genitalis (in dimidio exteriore situs, basim bulbi attingens, ibique angustus, anteriora versus et paullo foras directus, ultra medium bulbum productus, sed apicem eius non attingens) apice obtusus. Mandibularum basis praeter tuberculum supra commemoratum etiam prope latus exterius tuberculo plerumque ornata (quod tuberculum in exemplis minoribus saepe deesse videtur). Pedum femora pallide colorata, II. et IV. plerumque aculeis 2 aut 3, III. aculeo 1 instructa. Cephal. ca. 1·9—2·4 mm. lg. **11. clathrata.**
— — apice subito contractus, acutus. Mandibularum basis ad latus exterius non tuberculata. Pedum femora colore fusco late tincta (praesertim in lateribus), II. et III. et IV. plerumque aculeis singulis armata (II. nonnunquam duobus). Cephal. ca. 2 mm. lg. (Sec. perpauca exempla). **12. furtiva.**

Species 1. **Linyphia phrygiana** *C. L. Koch. 1836. Arachn.*

Tab. II, fig. 21: epigyne.

Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Pietroz havas, Suliguli, Torna, Szepes-Béla, Barlangliget, Tátra (Kriván), Csorbaitó, Lucski fürdő, Dobsina. V. Görgény-Szt.-Imre, Borszék, Czibin hegység, Tömös.

Species 2. **Linyphia montana** *(Clerck 1757.) „Araneus".*

Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia resupina C. L. Koch 1845. Arachn. — L. marginata Bl. 1864. Sp. Gr. Br.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Tokaj, Szerencs, Véke, K.-Helmecz, Széphalom, Terebes, Varannó, Sztropkó, Mezőlaborcz, Roskócz, Homonna, Győröcske, Munkács, Podhering, Bustyaháza, Bocskó, Kassa, Eperjes, Alsó-Meczenzéf, Zboró, Igló, Szepes-Béla, Tátra (Kriván), Chocs, Tarnócz, Lucski, Nagy-Rőcze, Felfalu, Budatin, A.-Kubin, Árva-Váralja. II. Tata, Sopron, Kám. III. Budapest, Kalocsa, Berkesz, Vencsellő. IV. Buziás, Rékás, Deliblat, Resitza, Ruszkabánya, Herkules-fürdő. V. Püspök-fürdő, Kolozsvár, Szamosujvár, Gyulafehérvár, Borszék, Brassó, Székely-Keresztúr. VIII. Velebit, Eszék.

Species 3. **Linyphia triangularis** *(Clerck) 1757. (ad partem) „Araneus".*

Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia montana C. L. Koch 1845. Arachn. — Bl. 1864. Sp. Gr. Br.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Tokaj, Monok, Tolcsva, Széphalom, Szőllőske, Velejte, Terebes, Varannó, Őrmező, Homonna, Vihorlat-csúcs, Szinnaikő, Győröcske, Dubrinics, Nyeviczke, Podhering, Oroszvég, Vitrovahora, Kabolya-Polyána, Körtvélyes, Eperjes, Torna, Stoósz, Szin, Csíz, Igló, Lőcse, Tátrafüred, Csorbaitó, Tátraháza, Lucski fürdő, Stubnya, Kis-Kriván, Felső-Tárkány, Cserépfalu, Bogács, Felfalu, N.-Rőcze, Rozsnyó, Tarnócz, Budatin, Árva-Váralja, Szliács, Salgó, Pilis-Maróth. II. Tallós, Kám, Sopron, Almádi, Zircz, Felcsúth, Várpalota, Sz.-Fehérvár, Simontornya, Tolna, Tüskepuszta. III. Budapest, Farkasd, Isaszegh, N.-Kőrös, Kalocsa, Kecskemét, Vacs, Dorozsma, Berkesz, Hadház. IV. Buzád, Rékás (monstrum), Klopódia, Marillavölgy, Anina, Resicza, Szászkabánya, Mehádia, Herkules fürdő, Baziás, Orsova, Pancsova. V. Szathmár, Nagyvárad, Felix-fürdő, Püspök-fürdő, Kolozsvár, Szucság, Bibarczfalva, Szamosujvár, Mező-Sályi, Mező-Szakál, Mező-Méhes, N.-Baczon, Maros-Ludas, Borszék, Medgyes, Előpatak, Székely-Keresztúr, Brassó, Szurduki szoros. VI. Fiume. VII. Trsato, Orehovicza, Martinscizza, Costrena St.-Lucia, Buccari, Novi, Portorè, Draga gornja, Crkvenica. VIII. Mrzla vodica, Varasd-Teplicz, Fuzine, Otocac, Plitvicza, Diakovár, Ruma.

Species 4. **Linyphia emphana** *Walckenaër. 1841. Aptères.*

Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Kabolya-Polyána, Lucski fürdő, Nagy-Rőcze, Árva-Váralja, Mátra-Kékes. IV. Herkules fürdő. V. Kolozsvár, Nagy-Baczon. VIII. Crnilug, Risnjak (14. VIII. ♀), Mrzla vodica (18. VIII. ♀, exemplum staturâ solito minori).

Species 5. **Linyphia marginata** *C. L. Koch. 1834. Deutschl. Crust. Myr. u. Arachn.*

Tab. II fig. 22, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

C. L. Koch 1845. Arachn. — Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1881. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia triangularis Bl. 1864. Sp. Gr. Br.

I. S.-A.-Ujhely, Erdőbénye, Tokaj, Szerencs, Széphalom, Varannó, Szinnaikő, Suliguli, Pietroz havas, Torna, Stoósz, Körtvélyes, Lucski, Tátra (Javorina), Dobsina, Árva-Váralja, Felfalu, Nagy-Rőcze, Budatin, Cserépfalu. II. Sopron, Felcsúth, Várpalota, Kőszeg, Tüskepuszta. III. Kalocsa, Hadház. IV. Rékás, Klopodia, Deliblat, Szászkabánya, Baziás, Drenkova, Orsova, Herkulesfürdő. V. Tasnád, Zilah, Püspök-fürdő, Pecze-Szt.-Márton, Kis-Fenes, Görgény-Szt.-Imre, Szamosujvár, Hideg-Szamos, Kolozsvár, Torda, Gyulafehérvár, Buzamező, N.-Ajta, N.-Baczon, Bucsecs-hegy, Babai szoros, Borszék. VIII. Ogulin, Diakovár, Plitvicza.

Species 6. **Linyphia peltata** *Wider 1834. Zool. Misc.*

Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia rubea Blackw. 1864. Sp. Gr. Br.

I. S.-A.-Ujhely, Erdőbénye, Varannó, Mezőlaborcz, Homonna, Szinnaikő, Polonina runa, Klastromalja, Pietroz havas, Suliguli, Bártfa, Stoósz, Körtvélyes, Tátra (Javorina, Matlárháza), Lucski, Koritnicza, Kis-Kriván, Zsolna, Árva-Váralja, Vág-Tepla, Cserépfalu. IV. Uj-Moldova. V. Rézbánya, Kolozsvár, Szamosujvár, Nagy-Baczon, Czibin hegység. VIII. Jaszenak, Crnilug, Leskovac, Vrata.

Species 7. **Linyphia frutetorum** *C. L. Koch 1834. Deutschl. Crust. Myr. u. Ar.*

Tab. II, fig. 23, *a:* epigyne a parte posteriore visa, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri.

C. L. Koch 1843. Arachn. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Tolcsva, Tokaj, Velejte, Sztropkó, Agtelek, Felfalu, Szliács, Kis-Kriván, Szenicz, Árva-Váralja, Pilis-Marót. II. Felcsúth, Sopron, Várpalota, Balaton-Szántód, Tüske-puszta, Pécs. III. Budapest, Gödöllő, Vacs. IV. Rékás. V. Kolozsvár, Hidegszamos, N.-Baczon, Babai szoros, Borszék. VI. Fiume. VII. Costrena St.-Lucia, Meja, Crkvenica, Zeng. VIII. Plitvicza, Jaszenak, Ogulin, Diakovár.

L. frutetorum var. punctiventris

I. S.-A.-Ujhely. V. Szamosujvár. VII. Buccari (29. VIII. ♀), Cesta Mej (14. VIII. 89. ♂♀), Draga garcina, Crkvenica, Zeng (iuv.), Vratnik (30/VII. iuv.). VIII. Diakovár (iuv.).

Species 8. **Linyphia hortensis** *Sundevall 1830.*

Tab. II, fig. 24: epigyne a parte postica inferiore visa.

Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia pratensis Bl. 1864. Sp. Gr. Br.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Erdőbénye, Tokaj, A.-Bereczki, Varannó, Mező-Laborcz, Szinnaikő, Nagy-Szőllős, Torna, Felső-Tárkány. II. Zircz, Sopron. III. Budapest, Kalocsa. V. Zilah, Szamosujvár, N.-Szeben, Brassó. VIII. Plitvicza.

Species 9. **Linyphia pusilla** *Sundevall 1830.*

Tab. II, fig. 25, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi sinistri.

Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Camb. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Theridium signatum Hahn 1834. Arachn. — Linyphia pratensis C. L. Koch 1845. Arachn. — L. fuliginea Blackw. 1864. Sp. Gr. Br.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Szerencs, Szőllőske, Szomotor, Királyhelmecz, A.-Bereczki, Széphalom, Csarnahó, K.-Toronya, Varannó, Simonkacsúcs, Szinnaikő, Polonina runa, Beregszász, Kabola-Polyána, Körtvélyes, Szalóncz, Igló, Tátrafüred, Csorbaitó, Lucski-fürdő, Tarnócz. II. Sopron. III. Farkasd, Rákosfalva, Mező-Kovácsháza. IV. Fehértemplom. V. Peér, Pele, Tasnád, Érmihályfalva, Kapnikbánya, Szamosujvár, Kolozsvár, Szucság, Torda, Buzamező, Borszék, Görgény-Szt.-Imre, Marosujvár, Bodzai hegység (Babarunka), Székely-Keresztúr, Tömös, N.-Szeben. VIII. Diakovár.

Species 10. **Linyphia impigra** *Cambridge 1871. Descr.*

Tab. II, fig. 26, *a:* epigyne a parte postica visa, *b:* maris pars tibialis palpi sinistri.

Cambr. 1879—81. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia circumcincta Camb. 1879. Sp. Dors. (♀).

I. Tokaj, Bacska (4. VIII. 89. ♀). III. Csepelsziget, Kalocsa. VIII. Eszék.

Species 11. **Linyphia clathrata** *Sundevall 1830.*

Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — O. Herm. 1879. — Camb. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia multiguttata C. L. Koch 1845. Arachn. — Neriene marginata Blackw. 1864. Sp. Gr. Br.

I. S.-A.-Ujhely, Monok, Szőllőske, B.-Szögh, Szomotor, Perbenyik, Széphalom, Nagy-Mihály, Varannó, Sztropkó, Homonna, Szinnaikő, Beregszász, Királyháza, Szepsi, Torna, Körtvélyes, Csiz. II. Pozsony, Kám, Tüske-puszta. III. Kalocsa, Hadház. IV. Temesvár, Rékás, Marillavölgy. V. Pele, Peér, Szakácsi, Koly, Szamosujvár, Kolozsvár, N.-Szeben. VIII. Diakovár, Velebit.

Species 12. **Linyphia furtiva** *Cambridge 1871. Descr.*

Tab. II, fig. 27: epigyne a parte postica visa.

Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Széphalom (in Coniferis ♂, ♀). II. Felcsúth (unicum ♂ legit Jablonovszky).

Species 13. **Linyphia insignis** *Blackwall 1841. Sp. Gr. Br.*

I. Szepes-Béla (Poprádvölgy 6. VIII. 1890, legit Biró), Tarnócz (legit Prof. Langhoffer).

Genus 26. **Taranucnus** *Simon 1884.*

Linyphia Cambridge. 1879. (ad partem).

Feminae.

Epigyne a parte inferiore adspecta tuber format magnum, ultra epigastrii marginem longe prominens, non multo longius quam latum, lateribus paene parallelis, fortiter et in longitudinem et in transversum convexum, fissuris longitudinalibus carens (Tab. II, fig. 29 a.). Cephal. ca. 1·0 mm. lg. **2. Herculanus.**

— — — — — tuber format magnum, multo latius quam longum, sulco ferri equini instar curvato in alas laterales et partem mediam divisum; haec e scapo constat duplo circiter longiore quam lato, apicem versus leviter dilatato, et utrimque e lamellis binis, quarum anteriores — in angulo e scapo et ex alis lateralibus formato sitae — posterioribus multo minores sunt (Tab. II, fig. 28 a.). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **1. Croaticus.**

Mares ambarum specierum ignoti.

Species 1. **Taranucnus Croaticus** *nova species Chyzer.*

Tab. II, fig. 28: epigyne a parte inferiore *(a)*, a latere et paullo a parte inferiore visa *(b)*.

Femina.

Cephalothorax 1·1 mm. longus, 1 mm. latus, antice fortiter angustatus, parum sinuatus, fronte recte truncatâ, angulis breviter rotundatis; oculorum series posterior 0·4 mm. longa; in cephalothorace desuper adspecto oculi antici medii marginem non attingere, laterales postici a marginibus late distare videntur: in lineâ transversâ, quae serie oculorum posteriore designatur, cephalothorax ca. 0·55 mm. latus est. Cephalothorax subtilissime — ad margines fortius — reticulatus est; impressiones cephalicae profundae, fovea ordinaria profunda, oblonga, parum definita, impressiones laterales partis thoracicae parum profundae, parum definitae, latae. Dorsum a latere adspectum inter partem cephalicam et thoracicam evidenter impressum, in parte illâ leviter, in hac fortiter convexum; pars cephalica parum altior quam thoracica, oculorum mediorum posticorum puncta summa non demissius sita quam dorsi pars summa. *Oculorum* series ambae desuper adspectae insigniter recurvatae: margines postici oculorum mediorum posticorum cum punctis mediis lateralium posticorum lineam subrectam designant. Oculi postici inter se subaequales (medii paullulum maiores videntur), medii inter se fere diametro suâ, a lateralibus spatiis insigniter minoribus (quam radius paullo maioribus) distant. Series oculorum anterior directo a fronte adspecta paene recta, oculi medii caeteris omnibus insigniter minores, inter se approximati (ne radio quidem remoti), a lateralibus circiter diametro suâ distant (nigri, in tuberculo nigro siti, difficilius observantur). Area oculorum mediorum paullo latior postice quam longa et paene duplo latior quam antice. Clypeus circiter $^1/_5$ altior quam area oculorum mediorum longa, sub oculis mediis ipsis impressus, caeterum rectus et sat fortiter proiectus. *Mandibulae* clypeo duplo longiores, aeque longae atque ambae simul sumptae latae sunt, leviter reclinatae, sublaeves (obsolete transverse reticulatae), apice intus rotundato angustatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus duobus ornatae, dorso — praeter pilos alios minores — prope latus interius, supra et infra medium, pilo longo sat forti instructo. *Maxillae* lateribus exterioribus paene parallelis, apice parum oblique truncatae; earum pars ultra labii apicem prominens aeque saltem atque labium longa; hoc latius quam longum, apice late rotundatum et margine elevato instructum. *Sternum*, marginibus subtiliter reticulatis exceptis, laeve, apice inter coxas IV. producto, transverse truncato, aeque circiter atque pedum coxae lato. Pedes tenues longi; tibia cum patella I. 2·4, IV. 2·3, metatarsus I. 1·65, IV. 1·7, tarsus I. 0·95, IV. 0·9 mm. longus; femora I. aculeis singulis in dorso et in latere antico armata videntur; femora II. et III. supra in dimidio basali, patellae omnes in apice aculeis singulis instructa, tibiae I. supra aculeis 1.1, in utroque latere in dimidio apicali aculeo 1, subter in dimidio basali aculeis 2 (?), in apicali aculeo 1 (?) instructae; tibiarum II. armatura similis, abesse tamen videtur aculeus in latere antico situs; tibiae III. et IV. supra aculeis 1.1, metatarsi omnes supra pone basim aculeo 1 ornati. *Abdomen* ovatum, postice leviter acuminatum, 1·8 mm. longum, 1·2 latum, 1·5 altum. *Epigyne* magna, insigniter prominens, a parte inferiore visa tuber format multo latius quam longum, subellipticum, margine postico inaequali, a latere visa autem processum brevem, deorsum et retro directum, paene trapezicum, insigniter crassiorem quam longum. Paries basalis (pb. in fig. 28 a.) in epigynê a parte inferiore visâ in sinum magnum, paene semicircularem excisus videtur, alae laterales (al in figuris) non tota latera occupant. Scapus basi latus, in dimidio posteriore leviter dilatatus, postice sursum

(ventrem versus) curvatus et angustatus, tuberibus et impressionibus caret; parti eius posticae adpressum est apiculum minutum. Inter scapum et alas parietis basalis lamellae utrimque conspiciuntur binae: anteriores minutae, posteriores usque ad apicem scapi pertinentes, cum eius marginibus contingentes, leviter incurvatae, pluries longiores quam latae; lamellae hae re verâ multo latiores sunt, quam in epigynê a parte inferiore adspectâ videntur, etiam a latere conspiciuntur: partem tuberis posteriorem formant, subter et postice rotundatae sunt. (Partes hae omnes, quibus sinus epigynes repletur, pallide coloratae, difficilius distinguuntur).

Cephalothorax cum mandibulis et maxillis rufo-testaceus, margine nigro, oculi cingulis nigris circumdati, antici medii in maculâ communi nigrâ siti; labium nigrum, apice pallidum, sternum nigro-fuscum; palpi et pedes rufo-testacei, cephalothorace parum pallidiores. Abdomen supra et in lateribus flavido-cinereum, infra fuscum, mamillae pallide fuscae; epigynes paries basalis fuscus, partes caeterae pallide flavidae.

Unicum exemplum legi ad VIII. Vrata (prope Fuzine) 26. VI. 1892.

Species 2. **Taranucnus (?) Herculanus** *nova species Kulczyński.*

Tab. II, fig. 29 *a:* epigyne a parte inferiore visa, *b*: eadem a latere et paullo a parte postica inferiora visa.

Femina.

Cephalothorax ca. 1·0 mm. longus, 0·85 mm. latus, antice fortiter angustatus, parum sinuatus, fronte late rotundatâ, angulis parum expressis; area oculorum 0·31 mm. lata, cephalothorax in lineâ, quae serie oculorum posteriore designatur, 0·48 mm. latus; in cephalothorace desuper adspecto oculi laterales ab eius marginibus late distare, oculi medii antici clypei marginem longe non attingere videntur. Cephalolothorax subtiliter reticulatus; impressiones cephalicae latae, sat profundae, fovea ordinaria lata, modice definita, sat profunda, impressiones laterales partis thoracicae parum distinctae. Dorsum a latere visum inter partem cephalicam et thoracicam perparum impressum, pars cephalica parum altior quam pars thoracica, oculorum mediorum posticorum puncta summa parum demissius quam dorsi pars summa (pone oculos) sita. *Oculorum* series posterior modice recurvata (formâ paullulum variare videtur!): puncta media mediorum cum marginibus anticis lateralium lineam paullo procurvam designant; oculi inter se subaequales, intervalla omnia subaequalia, aeque circiter atque diameter mediorum longa, aut oculi medii inter se circiter diametro suâ, a lateralibus autem spatiis evidenter minoribus remoti. Series anterior paullo sursum curvata: margines inferiores oculorum lineam rectam aut levissime sursum curvatam designant; oculi medii caeteris omnibus insigniter minores, a lateralibus insigniter longius (non totâ diametro suâ?) quam inter se remoti. Area oculorum mediorum postice paene duplo latior quam antice et parum latior quam longa. Clypeus aeque fere longus atque haec area, sub oculis impressus, inferius subrectus et sat fortiter proiectus. *Mandibulae* clypeo $2^1/_2$ longiores saltem, aeque circiter longae atque ambae simul sumptae latae sunt, caeterum similes atque in priore. *Maxillarum* pars ultra labii apicem prominens evidenter longior quam labium, caeterum *maxillae* et *labium* similia atque in priore. *Sternum* subtilissime reticulatum; eius apex (a parte inferiore adspectus) late truncatus, paullo latior quam pedum coxae. *Pedes* longi tenues, tibia cum patellâ I: 2·05, metatarsus 1·6 (brevior quam tibia), tarsus 0·95, partes eaedem pedum IV: 1·95, 1·45, 0·90 mm. longae; femur I. aculeis duobus: supra et in latere antico, femora II. et III. aculeis singulis in dorso armata, IV. inermia (caeteri aculei in exemplis nostris plerique desunt; metatarsi fortasse inermes!!). *Abdomen* paene ellipticum, postice leviter acuminatum, ca. 1·7 mm. longum. *Epigyne* processum format magnum (0·4 longum), longiorem quam latum, latiorem quam crassum, a basi retro et deorsum directum, apicem versus sublibratum, situ paullo variantem (ventri plus minusve approximatum), lateribus paene parallelis, apice paullo inaequabiliter truncatum. Processus huius parietem inferiorem et laterum partem magnam lamella format cornea, rufo-testacea, sparse pilosa, quae in apice processus sursum curvata et subito angustata, in processus partem superiorem abire videtur; laterum partes superiores lamellae occupant aliae, glabrae, pallidius coloratae, quarum pars parva in angulis posticis epigynes a parte inferiore adspectae conspicitur. Cum pariete superiore epigynes coniunctus est processus angustus, cuius apex rotundatus ultra partem mediam postremam epigynes paullo prominet.

Cephalothorax cum mandibulis et maxillis rufo-testaceus, margine parum obscuriore; oculi cingulis nigris circumdati, inter se plus minusve coniunctis et confusis, ita ut nonnunquam tota fere area oculorum — spatio oculis mediis posticis interiecto excepto — nigricans evadat. Labium et sternum colore insigniter variare videntur; illius apex pallidus, basis plus minusve infuscata,

hoc modo parum obscurius quam cephalothorax, modo margines versus insigniter infuscatum, modo totum pallidius aut obscurius fuscum. Palpi et pedes rufo-testacei, cephalothorace non aut non multo pallidiores. Abdomen cum mamillis flavido-cinereum, colore rufo paullo suffusum.

Habitat in antro „Tatarczy" ad IV. Aquas Herculis, ubi 4. VIII. 1892. pauca exempla, pleraque non adulta, legit L. Biró.

Genus 27. **Labulla** *Simon 1884.*

Linyphia Westring 1861. (ad partem). — Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.).

L. thoracica. Cephalothorax marginibus et vittâ mediâ incompletâ nigricantibus. Pedes annulati. Venter plus minusve obscure coloratus, ad mamillas maculâ albâ maiusculâ ornatus. Epigyne (Tab. II, fig. 30 a.) tuber format magnum, non altum, maximam partem foveâ occupatum profundâ, antice latâ, posterius insigniter angustatâ, postice apertâ; cum foveae margine antico medio processus coniunctus est angustus, retro directus, circiter mediam foveam attingens. Maris palpi parte patellari circiter $1^1/_2$ longiore quam lata; pars tibialis cum processu, in quem supra basim laminae tarsalis producta est, porrecto, apicem versus angustato, apice obtuso, insigniter longior quam pars patellaris; paracymbium mediocre, falciforme, ad marginem posticum tuberculo ornatum; pars tarsalis maxima, lamina tarsalis apicem versus subito inaequabiliter angustata; bulbus genitalis in latere exteriore lamellis magnis duabus instructus, coniunctim semicirculum fere formantibus, ultra latus laminae tarsalis longe prominentibus; embolus longissimus (Tab. II, fig. 30 b.). Cephal. ca. 2·2—2·5 mm. lg. (Sec. pauca exempla Polonica).

Species 1. **Labulla thoracica** *(Wider) 1834. „Linyphia". Zool. Misc.*

Tab. II, fig. 30, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri a parte inferiora visa.

Linyphia thoracica Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Linyphia cauta Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Labulla thoracica Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Visk, Bártfa. VII. Vratnik. VIII. Mrzla-Vodica (18. VIII. ♀), Vrata (26. VI. 92. juv.?).

Genus 28. **Lephthyphantes** *(Menge) 1866.*

Lepthyphantes Simon 1884. — Linyphia Westring 1861. (ad partem). — Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Microneta Simon 1884. (ad p.).

Feminae.

1. Metatarsi aculeis pluribus quam 1 armati. 2
   — — singulis armati. 7
2. Epigyne parum prominet, eius margo posticus cum spiraculis arcum format parum curvatum et parum inaequabilem. Paries basalis[1]) epigynes postice in semicirculum fere excisus, qui totus paene scapo repletur multo latiore quam longo, postice inciso et appendice parvâ aucto, in longitudinem impresso, antice a pariete basali sulco transverso distincto. Cephal. ca. 1·4 mm. lg. **8. varians.**
   — tuber format insigniter prominens. 3

[1]) *Lephthyphantarum* epigyne tuber plerumque format retro et deorsum plus minusve prominens. *Paries basalis* tuberis huius (Tab. II, fig. 32 a., 34 a: *pb*), pilosus, postice truncatus aut plus minusve excisus, plerumque e margine postico medio *scapum (sc)* emittit saepissime glabrum et pallidius coloratum, formâ variâ, varium in modum complicatum; scapi partes eas modo supra describimus, quae in epigyne non compressâ conspiciuntur. In lateribus paries basalis postice modo recte fere est truncatus, — scapus tum ultra suum marginem posticum insigniter prominet — modo posteriora versus plus minusve productus; partes productae, quas alas laterales (*al* in fig.) vocamus, modo secundum totam longitudinem cum scapi lateribus contingunt (fig. 34 a.), modo ab eis plus minusve distant, nonnunquam incurvatae foveam formare videntur, scapo dimidiatam aut repletam (fig. 32 a.).

3. Cephalothorax vittâ mediâ fuscâ, antice furcatâ ornatus. Pedes (plus minusve distincte) annulati. Epigynes scapus valde latus, latitudine suâ non aut non multo longior, apicem versus non aut parum dilatatus basi a pariete basali parum distinctus: rugosus et pilosus. 4
— — — obscurâ caret. Pedes annulati aut concolores. Epigynes scapus totus glaber, basi a pariete basali bene distinctus, saepe multo longior quam latus. 5
4. Scapi pars apicalis sursum (ventrem versus) flexa profunde incisa, margine elevato nitido cincta, foveolis duabus ornata. Cephal. ca. 1·8 mm. lg. **2. nebulosus.**
— — — sursum flexa non aut vix excisa, foveolâ unâ ornata (scapum a parte inferiore posticâ adspicias, scapus enim apice margine elevato, *medio interrupto,* cinctus, a parte inferiore adspectus emarginatus videtur!) (Tab. II, fig. 31.). Cephal ca. 2 mm. lg. **1. collinus.**
5. Scapus apice dilatatus. 6
— oblongus, apice non dilatatus, sulcis duobus longitudinalibus in partes tres divisus, quarum media supra laterales paullo elevata est. Margo posticus parietis basalis arcum format paene aequabilem. Pedes annulati. Cephal. ca. 1·5 mm. lg. **3. minutus.**
6. Alae laterales epigynes in margine interiore prope medium dente insigniter prominenti ornatae (Tab. II, fig. 32 a.). Pedes annulati (annuli nonnunquam valde obsoleti). Cephal. ca. 1—1·3 mm. lg. **4. leprosus.**
Margo interior alarum lateralium leviter convexus dentem non format. Pedes non annulati. Cephal. ca. 1·2—1·4 mm. lg. **5. alacris.**
7. Epigyne in processum producta longum valde, saltem punctum medium inter epigastrii marginem et mamillas attingentem aut longius productum (in exemplis abdomine paullo corrugato), e scapo solo constantem, depressum, insigniter latiorem quam crassum, lateribus — summâ basi exceptâ — parallelis, corneum, apice profunde bis ita emarginatum, ut anguli apicales laterales acuti et insigniter breviores evadant, quam pars media. Cephal. ca. 0·7 mm. lg. (Sec. perpauca mutilata exempla). **24. notabilis.**
— medium ventrem non attingit; rarius processum adeo longum format, ut apex suus a puncto medio inter epigastrii marginem et mamillas spatio parvo sit remotus, processus hic tum crassus est, non evidenter latior quam crassus, et praeter scapum ex alis lateralibus compositus, retro longe productis, apicem scapi fere attingentibus, cum scapo contingentibus 8
8. Scapi pars, quae in epigyne a parte inferiore conspicitur, tuberculum format parvum, pallidum, inaequale, nitidum, in epigynes parte postremâ situm. Paries basalis processum format latum, apice in sinus duos excisum, tuberculis repletos duobus transversis obscurioribus quam tuberculum commemoratum (Tab. II, fig. 33.). Tubercula haec tria, quorum medium paullo pone lateralia situm est, spatium occupant multo latius quam longum. Cephalothorax pallide coloratus, margine nigricanti, lineâ mediâ fuscâ, plus minusve distinctâ pictus, ca. 0·9—1·0 mm. lg. **9. crucifer.**
Epigynes a parte inferiore adspectae scapus partem maiorem format, quam quae supra describitur. 9
9. Epigyne sulco longitudinali dimidiata; antice sulcus in foveolam triangularem dilatatus est, posterius plerumque carinulâ angustâ repletur, quae in epigynes parte postremâ in apiculum rotundatum dilatatur. Epigyne processum format obscure coloratum, retro et deorsum directum, deplanatum, apicem versus insigniter angustatum; subter processus hic magna ex parte lamellâ tegitur pallide coloratâ, inaequali, costis duabus obtusis, S-formibus ornatâ et eis maximam partem limitatâ: lamella haec scapus est, apici processus commemorati innatus, a basi deorsum et anteriora versus reclinatus, antice iterum deorsum et retro flexus; scapi margines costas supra dictas formant, apex eius autem in parte mediâ postremâ epigynes conspicitur (Tab. III, fig. 8.). Abdomen nigricans, albo maculatum. Cephal ca. 0·8 mm. lg. **23. Keyserlingii.**
— sulco mediano caret. 10
10. Epigyne processum format insigniter prominentem, e scapo et ex alis lateralibus constantem; scapi latera (summâ basi exceptâ) in universum parallela, alae laterales cum scapo secundum totam longitudinem contingentes. 11
In epigyne a parte inferiore adspectâ alae laterales non conspiciuntur, aut a scapo plus minusve late distant, aut denique scapus latitudine non ubique aequali est. 13
11. Scapus longior quam alae laterales; pars epigynes postrema apiculo parvo ornatur. . . 12
Alae laterales paullulum longiores quam scapus. Epigynes partem postremam lamella format sat lata, transverse truncata, ab apice scapi foramine transverso distincta (Tab. II, fig. 35 a.). Cephal. ca. 0·9 mm. lg. **12. pallidus.**

12. Epigyne (quam paullo levatam adspicias!) a latere visa processum format basi insigniter coarctatum; pars eius superior (ventrem spectans) plus duplo longior quam basis processus crassa est (Tab. II, fig. 34 a, b.). Cephal. ca. 0·7—0·95 mm. lg. **10. angulipalpis.**[1])
— a latere adspecta ubique subaequali crassitudine, basi non evidenter coarctata; paries superior non duplo longior quam basis crassa. Cephal. ca. 0·8 mm. lg. **11. monticola.**

13. Scapus multo latior quam longus, subplanus, basi coarctatus, apice angustatus, margine apicali in sinum valde latum exciso, in quo apiculum multo quam sinus minus conspicitur; sinus utrimque angulo acuto, summo apice rotundato, limitatus. Cephal. ca. 0·8—0·9 mm. lg. **22. obscurus.**
— saepissime longior quam latus; raro latior quam longus, margo eius apicalis tum angulos acutos non format. 14

14. Paries basalis epigynes in alas laterales, longiores brevioresve, productus. 15
Alae laterales nullae. Epigynes pars ultra epigastrii marginem prominens e scapo constat nitido, lato, aeque circiter lato atque longo, lateribus subparallelis, angulis posticis rotundatis, margine postico medio paullo producto et depresso, rotundato. E partibus caeteris in epigyne a parte inferiore adspectâ, lamellae conspiciuntur oblongae, angustae, cum eius angulis posticis contingentes, et apiculum parvum, epigynes partem postremam formans. Pedes annulati. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **6. annulatus.**

15. Scapus multo (circiter duplo) latior quam longus, subplanus, lateribus rotundatis, postice utrimque rotundatus, medio in sinum acutum, apiculo parvo repletum, excisus. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **7. pulcher.**
— non evidenter latior quam longus. 16

16. Margo posticus parietis basalis leviter bis sinuatus, itaque medio paullo productus, supra basim scapi paullo prominens. Scapus latus, irregulariter rotundatus, basi coarctatus (Tab. II, fig. 36 a.). A latere adspecta epigyne processum format apice oblique truncatum, angulis apicalibus antico (margine medio parietis basalis) et postico (appendice parvâ, quâ pars postrema epigynes ornatur) prominentibus, subacutis (fig. 36 b.). Cephal ca. 0.9 mm. lg. **13. mansuetus.**
— — — — supra basim scapi non elevatus. 17

17. Scapus in longitudinem fortiter curvatus, convexus, adeo ut epigyne a latere adspecta foramine — nonnunquam valde angusto quidem — ornetur. Scapus latus est, summâ basi leviter coarctatâ, lateribus caeterum parallelis, marginibus lateralibus, praesertim posterius, leviter elevatis. Abdomen concolor. Cephal. ca. 0·8 mm. lg. **14. arciger.**
Epigyne, a latere adspecta, rarissime foramine parum distincto ornatur, scapus tum e basi angustiore posteriora versus aut sensim aut apice ipso subito dilatatus est. 18

18. Scapus postice aut in sinum acutum aut profunde emarginatus. 19
— — aut rotundatus aut levissime emarginatus. 20

19. Scapus basi modice latus, apicem versus paullo inaequabiliter (primo levius, tum fortius) dilatatus, margine postico medio in sinum acutum exciso, ad eum utrimque late rotundato (Tab. III, fig. 2 a.), a latere adspectus in longitudinem paullo convexus, angulis posticis deorsum non prominentibus. Cephal ca. 1·0—1·1 mm. lg. **16. mughi.**
— — compressus, apice subito dilatatus, postice excisus (itaque breviter furcatus), angulis posticis saltem non latioribus, quam apiculum, quo epigynes pars postrema ornatur (Tab. III, fig. 1 a.), paullo deorsum deflexis, ita ut scapus a latere adspectus in longitudinem leviter excavatus videatur. Cephal. ca. 1·0 mm. lg. **15. lepidus.**

20. Scapus in utroque latere prope medium tubere ornatus, postice bene definito, antice sensim in scapi planum descendenti. Cephal. ca. 0·85 mm. lg. **20. Mengei.**
— non tuberculatus. 21

21. Scapus rotundato-deltoideus aut rotundato-triangularis, aeque circiter longus ac latus; eius latera anteriora marginibus alarum lateralium parallela et ab eis sulco angusto remota.

---

[1]) Feminam hanc una cum mare *Lephthyphantae angulipalpis* non raro ipse legi in Polonia; una cum maribus *L. angulipalpis* legit eam etiam Cel. Dr. Ph. Bertkau ad Bonnam; vidi etiam alia exempla germanica hoc nomine signata in collectione Cel. Dris L. Koch conservata. Hanc itaque veram esse feminam *L. angulipalpis* censeo. — Femina, cuius partes genitales Cel. T. Thorell descripsit in Remarks on Synonyms . . . pag. 68, certo alia est species. Exemplum hoc deest in collectione Cel. Thorellii, id quod sane dolendum. Non male descriptio ea quadrat quidem in *Centromerum incilium* L. Koch, qui *Lephthyphantae angulipalpi* satis similis est; *Linyphiam angulipalpem* ♀ T. Thorellii pro synonymo *Centromeri incilium* tamen habere non audeo, propterea quod feminae illius pedes probabiliter similem in modum aculeati erant atque in mare *L. angulipalpis*, femina *Centromeri incilium* autem pedum armaturâ a *L. angulipalpi* non parum differt. — A *Lephthyphanta angulipalpi* distinguere non possum *Linyphiam infirmam* Thor., cuius exemplum in Bahusia lectum Auctor benigne mihi communicavit. *L. infirmae* feminam solam descripsit Cel. T. Thorell, marem autem non novit.

Scapus foveis oblongis duabus aut sulcis diffusis obliquis ornatur (Tab. III, fig. 7 a.). Cephal. ca. 0·8—0·9 mm. lg. **21. Henricae.**

Alae laterales a scapi parte anteriore plus minusve late distant; inter eas et scapum epigyne utrimque tuberculo ornatur aeque fere atque scapus elevato aut parum profundius sito. 22

22. Scapus antice valde angustus, posterius subito in lamellam fere cordiformen dilatatus; pars haec dilatata multo longior quam pars antica angusta (Tab. III, fig. 3 a.). Cephal. 0·9—1·0 mm. lg. **17. cristatus.**

— e basi modice latâ posteriora versus paene aequabiliter dilatatus; tubercula, quibus epigyne ad latus utrumque scapi ornatur, eius marginibus parallela, paullo oblique posita, anteriora versus inter se appropinquant. Cephal. ca. 0·9—1·0 mm. lg. **18. tenebricola.**

— maximam partem lateribus parallelis, modice latus, apice subito dilatatus, ⊥-formis. Tubercula ad scapum utrimque sita inter se subparallela (Tab. III, fig. 5 a.). Cephal. ca. 1·0 mm. lg. **19. tenuis.**

Mares.

1. Metatarsi saltem pro parte aculeis pluribus quam 1 instructi. 2

— aculeis non pluribus quam 1 ornati. 7

2. Palporum pars patellaris setâ ornatur crassâ, apicem versus leviter dilatatâ, apice subito acuminatâ. Pedes annulati. Cephal. ca. 1·3 mm. lg. **3. minutus.**

— — — pilo (aut pilis duobus) ornata gracili, apicem versus attenuato. 3

3. Palporum pars tibialis supra processu ornata quam pars ipsa saltem non breviore, insigniter longiore quam lato, sursum directo, apice obtuso leviter foras flexo, in margine antico ante medium denticulo parvo instructo. Pedes annulati. Cephal. ca. 2·5 mm. lg. **1. collinus.**

— — — supra processu nullo aut processu parum prominenti, breviore quam lato, instructa. 4

4. Palporum pars tibialis supra non dilatata. 5

— — — supra in carinam longitudinalem elevata, non altiorem quam longam, supra recte fere truncatam. Pedes annulati (annuli saepe valde indistincti). Cephal. ca. 1·7—2 mm. lg. **2. nebulosus.**

5. Lamina tarsalis palporum basi intus in tuber magnum, retro directum, apice obtusum elevata, prope latus exterius ad basim dente acuto sursum fere directo ornata. Pars tibialis palporum parum longior quam crassa, paullo *pone* medium pilo erecto instructa non multo minore quam seta patellaris (Tab. II, fig. 32 b.). Pedes (plerumque valde obsolete) annulati. Cephal. ca. 1·5 mm. lg. **4. leprosus.**

— — — basi intus tuberculo parvo aut nullo instructa. 6

6. Palporum pars tibialis insigniter longior quam crassa, supra subrecta, subter convexa, supra non procul a basi setâ ornata non multo minore quam est seta patellaris. Cephal. ca. 1—1·2 mm. lg. **5. alacris.**

— — — non evidenter longior quam crassa; eius pili omnes multo minores quam seta patellaris. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **8. varians.**

7. Pars patellaris palporum setâ instructa longâ, crassiusculâ, compressâ, pone medium leviter dilatatâ, inde apicem versus longe attenuatâ. Cephalothorax pallidus, lineâ mediâ fuscâ ornatus. Cephal. ca. 1 mm. lg. **9. crucifer.**

Pili partis patellaris formâ vulgari: apicem versus attenuati. 8

8. Palporum pars patellaris supra prope medium in angulum acutum elevata, cum eo — *directo* a latere adspecta — multo altior quam pars tibialis[1]); apex anguli pilo longo instructus. Lamina tarsalis basi intus truncata, tubere evidentiori caret. Bulbi lamella characteristica[2]) taeniam longam format usque ad bulbi apicem productam ibique bulbo ita adpressam, ut apex eius (qui sat latus est) difficilius conspiciatur; pars lamellae characteristicae cum margine antico paracymbii contingens supra fortius, subter levius dilatata est, marginibus

---

[1]) Figura nostra 34 *c.* partes patellarem et tibialem a latere exteriore et *paullo desuper* visas repraesentat; in palpo directo a latere exteriore adspecto pars patellaris altior, pars tibialis autem humilior videtur, quam in hac figurâ.

[2]) Lamellam characteristicam („Lateral stylum" F. O. Pickard Cambridge, Descriptive Notes on some obscure British Spiders caet. in Ann. a. Mag. of Natur. Hist. Vl. Series, Vol. 7. No. 37.) partem bulbi appellamus e bulbi basi exeuntem, anteriora versus directam, secundum paracymbii marginem plus minusve foras curvatam, denique plus minusve anteriora versus directam (*lc* in fig. 35 *b.* tab II, 2 *b.* et 3 *b.* tab. III.).

inaequalibus denticulatis (partes dilatatae, bulbo adpressae, difficillime conspiciuntur). (Tab. II, fig. 34 c.). Cephal. ca. 0·9 mm. lg. (Sec. exempla Polonica). **10. angulipalpis.**[1])

— — — supra nonnunquam fortiter convexa quidem est, angulum tamen distinctum non format, a latere adspecta quam pars tibialis non aut vix crassior videtur. 9

9. Apex partis patellaris insigniter supra basim partis tibialis elevatus. Lamella characteristica a paracymbii margine primo anteriora versus directa, tum subito foras (sursum) flexa; pars haec foras directa angusta, margine antico acute dentato. Cephal ca. 0·8 mm. lg. **11. monticola.**

— — — supra dorsum partis tibialis non elevatus. Lamellae characteristicae apex foras non flexus. 10

10. Lamina tarsalis basi aut prope basim modo tuberculo aut processu conico ornata, modo in cristam longitudinalem aut paullo obliquam elevata. 11

— — basi et prope basim tuberculis et carinis evidentioribus caret. 16

11. Angulus basalis exterior laminae tarsalis in processum conicum productus magnum (totam fere basim laminae occupantem), sursum et retro et foras directum, foras et retro leviter curvatum. Lamella characteristica a basi bulbi usque ad apicem subrecta, angusta, aeque saltem atque bulbus longa; eius pars apicalis, bulbo non adpressa, calcar format nigricans, porrectum. Cephal. ca. 0·9 mm. lg. **22. obscurus.**

Processus basalis (aut ambo processus basales) laminae tarsalis parvus, non totam basim eius occupans. 12

12. Palporum pars tibialis supra paullulum longior quam patellaris, eâ insigniter crassior (a latere visa), in dorso setis ornata ca. 4, seriem longitudinalem incompositam formantibus, quam seta patellaris neque evidenter brevioribus neque tenuioribus. Lamina tarsalis basi dentibus brevibus duobus, retro directis, instructa, altero in angulo interiore, altero ad angulum exteriorem sito. Lamella characteristica apicem bulbi non attingit; eius pars antica, ante paracymbii marginem sita, bulbo sat arcte adpressa, difficilius conspicitur, fere semilunaris est, margine interiore recto, exteriore convexo, dentibus et processibus caret (Tab. III, fig. 3 b.). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **17. cristatus.**

Seta patellaris maior quam setae partis tibialis. 13

13. Laminae tarsalis angulus basalis interior in tuberculum elevatus. 14

Lamina tarsalis angulo basali interiore non elevato, ad angulum basalem exteriorem cristâ brevi, margini plus minus parallelâ, ornata. 15

14. Pedes annulati. Angulus basalis interior laminae tarsalis tuberculo rotundato, retro directo, ornatus. Lamellae characteristicae pars ante paracymbium sita lata, lateribus subparallelis, porrecta, bulbo adpressa, apice emarginata, angulo superiore longius quam inferior producto. Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **6. annulatus.**

— non annulati. Angulus basalis interior laminae tarsalis tuberculo compresso, intus directo, paullo procurvo, ornatus. Lamellae characteristicae pars ante paracymbium sita porrecta, paene semilunaris, latere interiore leviter excavato, exteriore convexo et dentibus fortibus duobus ornato (Tab. III, fig. 2 b.). Cephal. ca. 1·1—1·2 mm. lg. **16. mughi.**

15. Crista supra dicta non multo longior quam alta. Lamellae characteristicae pars ante paracymbium sita spinam format corneam, acutam, porrectam, diffissam, membranâ tenui pellucidâ (quae difficilius conspicitur) obvolutam; prope eius apicem, bulbi lateri interiori propius, spina iacet cornea, profundius sita, foras directa (Tab. III, fig. 1 b, c.). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **15. lepidus.**

---

[1]) Cum mare *L. angulipalpis* certo nonnunquam species aliae, formâ angulatâ partis patellaris palporum insignes, confunduntur. In Hungaria mas *L. angulipalpis* ad hoc tempus inventus non est. Exempla Polonica cum mare in Suecia lecto, a Cel. T. Thorellio benigne mihi communicato, comparavi: certo unius sunt speciei, eiusdem quidem, quam A. Menge in *„Preussische Spinnen“* descripsit et delineavit. *Lephth. angulipalpis* Cel. E. Simonis, contra, probabiliter alia est species, quae (secundum figuram 33 et 34 in „Les Arachnides de France“ V.) a vero *L. angulipalpi* parte patellari palporum non medio sed prope apicem elevatâ, et paracymbii et lamellae characteristicae formâ, et laminâ tarsali basi productâ truncatâ bifidâ, differre videtur. — Veri *L. angulipalpis* apex anguli, in quem pars patellaris elevata est, *directo* a latere exteriore adspectus, parum longius distat a basi partis eius quam ab apice. Paracymbium in angulo basali inferiore dente brevi, acuto, sursum curvato ornatur (fig. 34 *c:* 1.); lamina paracymbii exterior, sive reflexa, lata est, margine nusquam inciso (fig. 34 *c:* 2.), aculeo gracili recto nigricanti ornatur in pariete suo interiore sito (fig. 34 *d:* 1.) (aculeus hic in palpo a latere exteriore viso non conspicitur). Lamina tarsalis processibus evidentioribus caret: desuper adspecta basi paullo oblique truncata videtur, angulo interiore paullulum prominenti (fig. 34 *d.*); in palpo a latere interiore adspecto lamina tarsalis basi fere transverse truncata est et marginem apicalem partis tibialis nusquam occultat. Prope marginem exteriorem lamina tarsalis carinulâ ornatur humillimâ longitudinali, margini ei paene parallelâ, prope medium breviter interrupta (fig. 34 *c:* 3, 4). Bulbus genitalis subter prope medium aculeo ornatur corneo gracili recto, margini interiori lamellae characteristicae parallelo, ab eo spatio parvo distanti, anteriora versus et paullo foras directo (fig. 34 *c:* 5.)

Crista supra dicta duplo saltem longior quam alta. Lamellae characteristicae pars antica fere transverse posita: latior quam longa, paene rhomboidea, in margine antico ad apicem denticulo parvo ornata. Cephal. ca. 1·0—1·1 mm. lg. **7. pulcher.**

16. Palporum pars tibialis angulo apicali exteriore in processum producto anteriora versus et sursum directum, obtusum, paullo ante cum tuberculo multo minore instructa, ita ut a latere exteriore inferiore adspecta dorso excavata videatur (Tab. II, fig. 36 c.). Paracymbium ad angulum basalem inferiorem dente nigro, foras fere directo, et inter basim et apicem in margine superiore dente maiore sursum et intus directo instructum. Bulbi latus exterius ad marginem anticum paracymbii processu instructum brevi, aeque circiter longo atque lato, apice oblique truncato, angulo apicali superiore acuto, inferiore obtuso. Cephal. ca. 0·9 mm. lg. **13. mansuetus.**[1])

— — — processu nullo instructa, dorso non excavato. 17

17. Lamella characteristica taeniam format parum curvatam. 18

Lamella characteristica subito bis curvata: partes eius basalis et apicalis in longitudinem fere directae, pars media transversa, cum paracymbii parte adscendenti contingens. Abdomen colore fusco aut nigro pictum, saepe totum fere nigrum. 19

18. Corpus totum pallide coloratum. Lamellae characteristicae margo interior prope angulum paracymbii dente acuto ornatus; a basi usque ad dentem hunc lamella leviter dilatata est, anterius ubique paene aequali latitudine, apice oblique acuminata (Tab. II, fig. 35 b.). Cephal. ca. 0·8—0·9 mm. lg. **12. pallidus.**

Cephalothorax et abdomen nigro-fusca et nigra, abdominis dorsum maculis per paria dispositis fuscis, et antice saltem maculis albis duabus ornatum. Lamella characteristica prope apicem ramulo gracili, deorsum et anteriora versus directo, quam apex ipse longiore, ornata. Cephal. ca. 0·9 mm. lg. **23. Keyserlingii.**

19. Paracymbium in curvatura anticâ (inter partem libratam et partem apicalem adscendentem) intus dente nigro ornatum (palpum a parte posticâ exteriore adspicias!). Margo paracymbii posticus supra curvaturam posticam dente nigro sursum directo instructus (dens hic, margini paracymbii parallelus, in palpo a latere adspecto difficilius conspicitur). (Clypeus sub oculis mediis aeque circiter altus atque area oculorum mediorum longa est, oculi antici medii lateralibus minores et inter se spatio minore quam ab eis remoti). Cephal ca. 1·0 mm. lg. **18. tenebricola.**

— dente in curvaturâ anteriore sito caret. (Clypeus sub oculis mediis humilior quam area oculorum mediorum longa est, oculi antici medii lateralibus non multo minores, inter se et ab eis spatiis subaequalibus remoti). 20

20. Paracymbium ad curvaturam posteriorem in margine antico (sive intus) dente nigro instructum. Margo posticus medius partis descendentis paracymbii denticulo minuto ornatus (Tab. III, fig. 5 b.). Cephal. ca. 1·0 mm. lg. **19. tenuis.**

— dente ad curvaturam posteriorem sito caret. 21

21. Apex partis latae paracymbii[2]) in palpo a parte posticâ adspecto sinuato acuminatus (latere interiore subrecto, exteriore curvato) videtur (Tab. III, fig. 6.). Cephal. ca. 0·9 mm. lg. **20. Mengei.**

— — — — in palpo a parte posticâ adspecto oblique truncatus et leviter excisus videtur, angulo exteriore breviore et rotundato, angulo interiore longius producto et acuto (Tab. III, fig. 7 c.). Cephal. ca. 0·8 mm. lg. **21. Henricae.**

Species 1. **Lephthyphantes collinus** *(L. Koch). 1872. „Linyphia". Apter. aus d. fr. Jura.*

Tab. II, fig. 31: epigyne a parte postica inferiore visa.

II. Sopron, Velencze.

---

[1]) Haec est vera *Linyphia mansueta* Thor., cuius palpum in collectione Cel. T. Thorellii conservatum examinavi. Cel. E. Simon speciem hanc ut novam descripsit nomenque ei dedit *Lephthyphantae bidentis. Lephthyphantes mansuetus* E. Sim. alia est species, mihi ignota, cui nomen novum impono: *Lephth. Simonis.*

[2]) Paracymbium *L. tenebricolae, L. Henricae, L. Mengei, L. tenuis,* prope apicem sinu profundo excisum et subito angustatum est; pars eius apicalis angusta, bulbo genitali adpressa, in palpo a parte posteriore viso difficilius conspicitur; sinus ille limitem format inter partem paracymbii apicalem angustam et eam, quam supra „latam" appellamus.

Species 2. **Lephthyphantes nebulosus** *(Sundevall) 1829. „Linyphia".*

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia furcula C. L. Koch 1845. Arachn. — L. circumflexa Idem ibidem. — L. crypticola Westr. 1861. Ar. Suec. — L. vivax Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — L. nebulosa Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1881. Sp. Dors.

I. Munkács (mense Aug. ♂). III. Gödöllő (14. IV. 86. ♀). V. Kolozsvár (mense Augusto ♀, Sept. iuv.). IV. Szászkabánya.

Species 3. **Lephthyphantes minutus** *(Blackwall) 1853. „Neriene" Characters.*

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia domestica Westr. 1861. Ar. Suec. (ad part.). — L. minuta Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. S.-A.-Ujhely, Velejte (in nido Lasii fuliginosi ♀), Homonna, Szepes-Béla. II. Kám. III. Budapest (Orczykert). VIII. Mrzla-Vodica, 12. VIII. ♂♀.

Species 4. **Lephthyphantes leprosus** *(Ohlert) 1865. „Linyphia" Arachn. Studien.*

Tab. II, fig. 32, *a:* epigyne, *b:* maris partes tibialis et tarsalis palpi sinistri a latere interiore visae.

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia domestica Westr. 1861. Ar. Suec. (ad part.) — L. leprosa Thor. 1870—73. Rem. — O. Herm. 1879. — Cambr. 1879.

I. S.-A.-Ujhely, Szerencs, Szőllőske, B.-Szögh 15. IX. ♀, Királyhelmecz ♀, Nagymihály, Varannó, Kelcse 2. IV. ♀, Homonna, Alsó-Meczenzéf 2. VI. ♂♀, Szepes-Béla, Igló, Krasznahorka, Nagy-Rőcze, Selmeczbánya (Pacher tárna), Cserépfalu. II. Tallós, Kám, Felső-gallai barlang. III. Budapest (Hárshegy), Kalocsa. IV. Herkules-fürdő 16. VII. ♀, Szászkabánya. V. Belényes 21. VIII. ♂♀, Kolozsvár ♀, Borszék. VIII. Jasenak, Mosunje, Jaska.

Species 5. **Lephthyphantes alacris** *(Blackwall) 1853. „Linyphia". Ann. a. Mag. of Nat. Hist. 2-th. Ser. Tom. XI.*

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia pygmaea Thor. 1856. Rec. crit. — L. tenebricola Westr. 1861. Ar. Suec. — L. alacris Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Thor. 1870. Rem. — O. Herman 1879. — Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. Tokaj, Szinnaikő 14. VI. ♂♀, Suliguli, Pietroz havas, Bártfa, Tátrafüred, Tátra (Javorina, Tarpataki völgy, Felkai hosszutó, Nagy-Kriván), Csorbaitó. V. Biharfüred, Rézbánya (juv.?), Borszék, Nagy-Szeben, Präsbahegy. VIII. Vrata 26. VI. 92. ♂♀, Risnjak (in altitudine 1400—1500 m. juv.,?), Mosunje.

Species 6. **Lephthyphantes annulatus** *(Kulczyński) 1882. „Linyphia" Ar. Tatr.*

Lepthyphantes frigidus Sim.? 1884. Ar. Fr.

I. Tátra (Kriván, Volovecz, Pod Uplaz, Hrubi vrh, Cserveni vrh, hlinszkai völgy, felkai völgy — virágos kert —.).

Species 7. **Lephthyphantes pulcher** *(Kulczyński) 1882. „Linyphia" Ar. Tatr.*

I. Tátra (hlinszkai és mliniczai völgy, Tengerszem csúcs, Viszoka), Korytnicza 4. VI. ♀.

Species 8. **Lephthyphantes varians** *(Kulczyński) 1882. „Linyphia". Ar. Tatr.*

I. Tátra (Pod Uplaz, Cserveni vrh, Liliove, Svinyicza, hlinszkai és nefczeri völgy, Tengerszem csúcs, Viszoka, Jegestórét, Svisztova völgy a Lengyelnyereg alatt és Siroka).

Species 9. **Lephthyphantes crucifer** *(Menge) 1866. „Bathyphantes". Pr. Sp.*

Tab. II, fig. 33: epigyne.

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia crucifera Thor. 1870. Rem.

I. S.-A.-Ujhely 14. V. 92. ♀, Varannó, Szinnaikő 14. VI. ♀, Szín. V. Kolozsvár. VIII. Ruma 7. VII. ♂♀.

Species 10. **Lephthyphantes angulipalpis** *(Westring) 1851. „Linyphia". Förteckning.*

Tab. II, fig. 34, *a:* epigyne a parte inferiore, *b:* a latere visa, *c:* maris partes patellaris, tibialis, tarsalis palpi dextri a latere visae, *d:* pars tarsalis desuper visa.

Linyphia angulipalpis Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. (♂, non ♀). — Linyphia infirma Thor. 1875. Descr. (♀).

I. Czéke, Sztropkó 6. VI. ♀ (?), Podhering 4. XI. ♀ (?).

Species 11. **Lephthyphantes monticola** *(Kulczyński) 1882. „Linyphia". Ar. Tatr.*

I. Tátra (Svinyicza, Liliove, Jegestórét, Kriván, Nefczeri és szmrecsinai völgy, Mengusfalvi csúcs, Halastó és Tengerszem közt, Poprádi tó, Lengyelnyereg).

Species 12. **Lephthyphantes pallidus** *(Cambridge) 1871. „Linyphia". Descr. of some Br. Sp.*

Tab. II, fig. 35, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis et tibialis palpi dextri.

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia pallida Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. Tátra (Mengusfalvi völgy). III. Kecskemét ♀.

Species 13. **Lephthyphantes mansuetus** *(Thorell) 1875. „Linyphia".*

Tab. II, fig. 36, *a:* epigyne a parte inferiore, *b:* a latere visa, *c:* maris pars patellaris et tibialis palpi sinistri (*pc:* paracymbium).

Linyphia mansueta Thor. 1875. Descr. — Lepthyphantes bidens Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Szinna 10. IV. 88. ♀. II. Sopron ♀.

Species 14. **Lephthyphantes arciger** *(Kulczyński) 1882. „Linyphia". Ar. Tatr.*

I. Pietroz havas, Bártfa, Tátrafüred, Tátra (Kriván), Dobsina.

Species 15. **Lephthyphantes lepidus** *(Cambridge) 1875. „Linyphia". Notes a. Descr. of some Br. Sp.*

Tab. III, fig. 1, *a:* epigyne, *b:* maris partes patellaris tibialis tarsalis palpi dextri, *c:* pars tarsalis.

I. Igló VII. ♂, Csorbaitó 26. VIII.

Species 16. **Lephthyphantes mughi** *(Fickert) 1875. „Linyphia". Myr. u. Arachn. v. Riesengebirge.*

Tab. III, fig. 2, *a:* epigyne a parte postica inferiore visa, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri (*d:* dens basalis laminae taralis).

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia alpina O. Herm.? 1879.

Linyphia alpina O. Herm., ab Auctore nimis breviter descripta, certo Lephthyphantes quidam est, fortasse *L. mughi;* in hanc speciem saltem non male quadrat descriptio coloris abdominis et — minus bene quidem — descriptio et figura palpi maris: pars illa, quâ bulbi apex ornatus describitur, ferri equini instar curvata, secundum figuram 152 *d* in latere exteriore dentibus duobus ornata, fortasse lamella characteristica est *distorta.*

I. Polonina runa, Suliguli, Pietroz havas, Pop-Iván csúcs, Okoló (Tiszaforrás), Tátrafüred, Tátra (Javorina, Felkai Hosszútó, Nagy-Kriván), Csorbaitó, Kis-Kriván, Dobsina. V. Biharfüred, Kapnikbánya.

Species 17. **Lephthyphantes cristatus** *(Menge) 1866. „Bathyphantes". Pr. Spin.*

Tab. III, fig. 3, *a:* epigyne, *b:* maris partes tibialis et tarsalis palpi dextri.

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia cristata Thor. 1873. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. Czéke, Szinna, Mezőlaborcz, Klastromalja 1. XI. ♀, Pietroz havas (?). V. Zilah, Lotrioravölgy 7. IV. ♂. VIII. Mrzla-Vodica 16. VIII. ♀ (? exemplum exsiccatum).

Species 18. **Lephthyphantes tenebricola** *(Wider) 1834. „Linyphia".*

Linyphia pygmaea Westr. 1861. Ar. Suec. (pro parte?) — Linyphia tenebricola var. α (forma principalis) Thor. 1870—1873. Rem. (exclusis synonymis Mengei et Sixii). — Lephthyphantes tenebricola Kulcz. 1887. Symb. ad faun. ar. tirol.

Cel. E. Simon (Arachn. de France), Rev. O. P. Cambridge (On. new a. rare Spid. found in 1889. a. 1890.), Rev. F. O. P. Cambridge (Descriptive Notes on s. obscure Brit. Spid.) pro *Lephthyphanta tenebricola* Wid. aliam speciem habent, eam quidem, quam hic *L. tenuem* (Blackw.) appellamus. Wideri descriptio et figura *„Linyphiae tenebricolae"* non adeo subtiles quidem sunt, ut rem decernant; attamen sententiam Auctorum commemoratorum sequi non possumus, quoniam *L. tenuis* ad Beerfelden in Silva Ottonica, ubi lecta est *L. tenebricola* Wideri, non occurrere videtur! Ad Pforzheim saltem in Mag. Duc. Badensi (quae urbs a Beerfelden spatio non magno distat) e speciebus *Linyphiae tenebricolae* Wid. similibus secundum exempla a Cel. W. Bősenbergio collecta et Kulczynskio communicata *L. tenebricola* n. et *L. Henricae* n. soli occurrunt et non rari sunt, *L. tenuis* autem abest. Descriptio Wideri paullo melius in istum *L. tenebricolam* Badensem quam in *L. Henricae* quadrat, noster *L. tenebricola* itaque nobis vera esse *L. tenebricola* Wid. videtur. Quae opinio graviter confirmatur auctoritate Cel. Dris L. Kochii, qui exempla sua *L. tenebricolae,* variis locis Germaniae lecta, *Kulczyńskio* benigne communicavit.

Lephth. tenuem Anglicum (marem et feminam, a Rev. O. P. Cambridgio determinata) e collectione Cel. T. Thorellii *Kulczyński* novit. Epigynen huius speciei Cel. E. Simon melius delineavit, quam Rev. F. O. P. Cambridge: figura 84 in „Les Arachnides de France" V. dentem in curvaturâ paracymbii situm clare ostendit (denticulus, quo margo posticus paracymbii ornatur, in palpo a latere adspecto difficile conspicitur), apex paracymbii et lamella characteristicâ non recte delineata sunt; dentes paracymbii ambo omissi sunt in figura II. 1. Rev. Cambridgii, et in figurâ 2 *a* tubera, scapo et parieti basali epigynes interiecta, quae re verâ paene elliptica sunt, antice longe acuminata repraesentantur.

Speciem, quam *Lephthyphantam Henricae* (Six pro parte) appellamus, anno 1887. *Kulczyński* a *L. Mengei* non distinxit (Symbola ad faun. arachn. tirol.). Secundum exempla duo (mares) a Sixio determinata, quae in collectione Cel. Thorellii conservantur, *„Theridium Henricae"* Sixii duas species, a *L. tenebricola* et a *L. tenui* diversas, continet, eas quidem, quas *Kulczyński* sub nomine *L. Mengei* confudit. Nomen *„Henricae"* ei speciei conservandum censemus quae in Germania occidentali — et probabiliter in Hollandia — frequentius occurrere videtur; *L. Mengei* autem eam

speciem appellamus, cuius partes genitales in Symbol. ad faun. arach. tirol. descriptae et delineatae sunt. (Partes hae secundum exempla Polonica designatae sunt; exempla Tirolensia l. c. commemorata non ad *L. Mengei* sed ad *L. Henricae* pertinent).

Secundum exempla in collectione Cel. T. Thorellii conservata, pro parte a N. Westringio „*Linyphia pygmaea*" appellata, occurrunt in Scandinavia praeter nostrum *Lephthyphantem tenebricolam*, etiam *Lephth. Henricae*, *L. tenuis*, *L. Mengei*, *L. Blackwallii*.

Quid sit *Linyphia terricola* Blackw. (= *Linyphia zebrina* O. P. Cambr. in Spid. Dors., *Lephth. zebrinus* F. O. P. Cambr. l. c., *Lephth. terricola* O. P. Cambr. l. c.), certo dicere nescimus. Exempla duo typica (marem et feminam) vidit *Kulczyński* in collectione Cel. T. Thorellii: feminam a *L. tenebricola* nostro distinguere non potest, mas autem ad speciem propriam pertinet, paracymbii formâ a *L. tenebricola*, *tenui*, *Henricae*, *Mengei*, distinctam: dentes in curvaturâ anticâ et in posticâ desunt, pars paracymbii basalis s. postica denticulo acuto gracili nigro, *foras et retro* directo, in margine postico, *prope angulum superiorem* sito ornatur (Tab. III, fig. 4.: paracymbium palpi dextri a latere visum). (In *L. Mengei* et *L. Henricae* dens paracymbii ad marginem posticum, fere *in medio* partis basalis iacet, crassior et maior est, *sursum* et paullo foras directus). Etiam lamellae characteristicae formâ fortasse differt paullulum hic „*L. terricola*" a *L. Mengei* et *L. Henricae*, nota tamen probabiliter paullo inconstans est. Apex paracymbii a Rev. F. O. P. Cambridgio non satis exacte delineatus est: pars haec in longitudinem complicata est; in fig. I. 1 *a* et *b* l. c. paries eius exterior s. reflexus solus conspicitur, paries autem interior — qui, bulbo adpressus, difficile conspicitur — deest. Etiam denticulum illum, quo basis paracymbii ornatur, omisit Rev. F. O. P. Cambridge.

Nomen legitimum non habet haec species; *terricola* appellari non potest, *Linyphia terricola* C. L. Kochii enim synonymum non dubium *Lephthyphantae alacris* (Bl.) est, pro parte saltem: figurae 1047. et 1048. in „Die Arachniden" optime hanc speciem repraesentant, et inter species Bohemicas et Germanicas, quarum frequentiores omnes *Kulczyński* novisse censet, nulla alia invenitur, ad quam figurae hae melius referri possint. Formae, quas C. L. Koch pro *varietatibus Lin. terricolae* habuit, contra, certo variae species sunt generis *Lephthyphantae* (et *Bathyphantae?*). — *Lephthyphantes zebrinus* (Menge) species est Auctoribus Anglicis et Cel. E. Simoni fortasse ignota; eius epigyne formam similem habet atque ex. gr. epigyne *L. variantis* (cfr. figuram 3 c tab. I. in Aran. nov. in mont. Tatr. . . . coll. cum figura 88 in Les Arachnides de France), latera abdominis infra marginem areae pallidae, dorsum abdominis occupantis, nullis lineis aut maculis pallidis ornantur (cfr. descriptionem „*Lephth. zebrini*" in Arachn. de France). — *Linyphia terricola* Bl. itaque novo nomine notanda est: *Lephthyphantam Blackwallii* eam appellamus. — Que sit vera huius speciei femina et quibus rebus differat a *L. tenebricola*, ulterius inquirendum est.

Species haec apud nos regiones montanas incolit. — I. Szinnaikő 14. VI. ♂♀, Polonina runa, Suliguli, Bártfa, Szaláncz, Stoószi fürdő 3. VI. ♀, Tátra (Szmrecsinai és hlinszkai völgy). IV. Ruszkabánya. V. Zilah. VIII. Vrata, Risnjak (in altitudine 1400—1500 m.), Mrzla-Vodica 18. VIII. ♀.

Species 19. **Lephthyphantes tenuis** *(Blackwall) 1852. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 5, *a:* epigyne, *b:* paracymbium palpi sinistri.

Linyphia tenuis Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Linyphia tenebricola var. tenuis Thor. 1870. Rem. — Linyphia tenebricola Cambr. 1879. Sp. Dors. — Lepthyphantes tenebricola Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely 14. V. ♂♀, Tolcsva (?), Erdőbénye, Csarnahó 9. X. ♂♀, Szinnaikő, 14. VI. ♀, Klastromalja 1. XI. ♀, Eperjes. II. Kám. IV. Herkulesfürdő (Polyána sztana Pogara és Sztretku) 16. VII. ♀. V. Biharfüred. VII. Orehovica. VIII. Franczikovac 5. VII. ♀, Plitvica, Vrdnik 8. VII. ♀, Vrata 26. VI. ♀.

Species 20. **Lephthyphantes Mengei** *Kulczyński 1887. Ar. Tir.*

Tab. III, fig. 6: paracymbium palpi dextri a parte postica visum (*pt:* pars tibialis, *lt:* lamina tarsalis).

Kulcz., Symb. ad faun. arachn. tirol.

I. S.-A.-Ujhely, Bodrogpart, Szinna 10. IV. ♂, Alsó-Meczenzéf 2. VI. ♀. IV. Baziás, Orsova. V. Biharfüred.

Species 21. **Lephthyphantes Henricae** *(Six) 1858. „Theridium" (pro parte).*

Tab. III, fig. 7 *a:* epigyne, *b:* paracymbium palpi sinistri a latere exteriore, *c:* paracymbium palpi dextri a parte postica visum (*pt*: pars tibialis, *lt:* lamina tarsalis).

I. S.-A.-Ujhely 14. V. ♂♀, Tolcsva, Erdőbénye, Csarnahó 9. X. ♂♀, Papina, Szinnaikő 14. VI. ♀, Klastromalja 1. XI. ♀, Eperjes, Lucski. II. Kám. IV. Herkulesfürdő (Polyana Sztana Pogara és Sztretku 16. VII. ♀), Uj-Moldova. V. Biharfüred. VII. Orehovica. VIII. Francikovac 5. VII. ♀, Plitvica, Vrdnik 8. VII. ♀, Vrata 26. VI. ♀.

Species 22. **Lephthyphantes obscurus** *(Blackwall) 1841. „Linyphia".*
The difference in the number of eyes.

Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia obscura Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Thor. 1873. Rem. — Cambr. 1879—81. Sp. Dors.

I. Suliguli, Pietroz havas, Bártfa, Stoószi fürdő 3. VI. 892. ♂, Tátrafüred, Tátra (Javorina), Szitnyahegy.

Species 23. **Lephthyphantes Keyserlingii** *(Ausserer) 1867. „Linyphia".*
Verh. d. zool. bot. Gesell. in Wien.

Tab. III, fig. 8: epigyne.

Microneta Keyserlingii Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely (Kopaszhegy) 17. III. ♀, Szerencs 22. V. ♀, Tokaj, Szőllőske. II. Almádi ♂. III. Hadház 15. VII. 89. juv. IV. Langenfeld, Orsova. VII. Buccari.

Genus 29. **Poeciloneta** *novum genus*[1]) *Kulczyński.*

Linyphia Westring 1861. (ad partem). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Bathyphantes Simon 1884. (ad p.).

P. variegata. Cephalothorax rufo-flavidus, marginibus nigricantibus, maculâ nigricanti in postremâ parte cephalicâ ornatus, saepe etiam lineis nigris radiantibus pictus; pedes annulis nigricantibus, plus minusve distinctis picti. Epigyne a parte inferiore adspecta processum format parum ultra epigastrii marginem prominentem; pars postrema processus, glabra, nitida, in utroque latere (non medio) a partibus adiacentibus sulco profundo distincta, multo latior est quam longa, utrimque inaequabiliter rotundata, margine postico medio in apiculum breve, apice rotundatum, producto (Tab. III, fig. 9.). Maris palpi parte patellari aeque circiter latâ atque longâ, apice setâ longâ gracili instructâ; pars tibialis aeque circiter longa atque patellaris, processu nullo evidentiori ornata; lamina tarsalis in angulo basali exteriore (sive superiore) dente ornata paullo compresso, sursum et foras directo, apice inciso (laminam a parte anticâ interiore adspicias!). Cephal. ca. 0·9—1·0 mm. lg.

Species 1. **Poeciloneta variegata** *(Blackwall) 1841. „Neriene".*

Tab. III, fig. 9, epigyne.

Linyphia gracilis Westr. 1861. Ar. Suec. — Linyphia variegata Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Bathyphantes variegatus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Varannó, Bártfa, Tátrafüred, Tátra (Kriván).

---

[1]) ποικίλος, νέω. — Sectiones pleraeque veterum generum *Linyphiae* et *Erigones*, quas hic nominibus genericis, modo a Cel. E. Simone et Fr. Dahlio propositis, modo novis, notamus, certo *generum* vim non habent. Nobis tamen non contigit, ut sectiones has in pauciora, bene circumscripta genera collegerimus.

Genus 30. **Bathyphantes** *(Menge) 1866.*

Simon 1884. (pro parte). — Theridion Blackwall 1864. (ad partem). — Linyphia Westring 1861. (ad p.). — Blackwall. 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.)

Feminae.

1. Epigyne processu ornata valde longo, cum pariete suo inferiore (a ventre averso) coniuncto, ultra medium ventrem producto, piloso, flexili, filiformi. Pedum omnium femora aculeata. Cephal. ca. 0·9—1·0 mm. lg. **1. concolor.**
— processu insigniter ultra epigastrii marginem prominenti caret, aut processu glabro, e pariete superiore (e foveae, quâ epigyne ornatur, margine posteriore) exeunti ornatur. . . 2
2. Pedum omnium femora aculeata. 3
Femora 4 anteriora aculeata, posteriora inermia.[1]) 5
3. Epigastrii paries postice truncatus aut late emarginatus; epigyne itaque foveâ transversâ ornata. 4
— — postice profunde excisus: epigyne foveâ ornatur profundâ subrectangulâ, paullo longiore quam lata, e parte posticâ processum emittenti deorsum et retro directum, filiformem, aeque circiter longum atque fovea lata est (Tab. III, fig. 11 a.). Cephal. ca. 1·0 mm. lg. **4. nigrinus.**
4. Epigastrii paries postice recte fere truncatus aut in arcum parum curvatum excisus; epigynes fovea sub eum longe producta, ita ut fundus partis anterioris foveae vix conspici possit (Tab. III, fig. 12 a.). Abdominis dorsum plerumque pallidum, vittis transversis nigricantibus pictum (in exemplis obscure coloratis nigrum, pallide maculatum). Cephal. ca. 1·1—1·2 mm. lg. **5. approximatus.**
— — — in arcum sat fortiter curvatum excisus, supra foveam parum productus, ita ut pars anterior fundi foveae non difficile conspiciatur. Abdominis dorsum nigricans, maculis flavidis pictum, nonnunquam subconcolor. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **8. torrentum.**
5. Epigyne parum prominens. Paries epigastrii inferior postice recte fere truncatus aut late rotundatus. Epigyne postice foveolâ ornatur minutâ, quae maximam partem apiculo rotundato (scapi apice?) repletur. (Tab. III, fig. 13. 14.). 6
Epigastrium insigniter elevatum, postice recte fere truncatum (abdomen directo a parte inferiore adspicias!) aut medio paullo productum, a latere adspectum tuber format crassum subtriangulare, latere antico convexo, postico recto aut leviter excavato. Epigastrii paries superior processum emittit retro et deorsum directum, apicem versus, qui rotundatus et subter excavatus est, angustatum; processus hic a latere adspectus aeque circiter longus videtur atque tuber commemoratum, angustior. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **3. dorsalis.**
— profunde excisum. Epigyne foveâ ornatur profundâ, aeque saltem longâ ac latâ, processum emittenti paene cylindricum, apice obtusum, medium ventrem circiter attingentem, sublibratum. Cephal. ca. 0·8 mm. lg. **2. pullatus.**
6. Tibia cum patella IV. longior quam tibia I. Cephal. ca. 0·75 mm. lg. **6. gracilis.**
— — — — brevior quam tibia I. Cephal. ca. 1·05 mm. lg. (Sec. perpauca exempla). **7. similis.**

Mares.

1. Bulbus genitalis (quem a latere exteriore adspicias) stylo longo instructus, a paracymbio retro et deorsum directo, anteriora versus curvato, apicem suum attingenti, ubi foras flexus et in semicirculum fere curvatus est. Paracymbium inaequale, bis in angulum subrectum fractum; pars eius media profundius sita quam partes superior (cum laminâ tarsali connata) et inferior, ab hac carinâ acutâ distincta; partis inferioris angulus apicalis superior in processum sursum et anteriora versus directum productus. Femora omnia aculeata. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **1. concolor.**

---

[1]) *Bathyphantes (?) cyaneonitens,* cuius exempla duo tantum vidi, aculeis plerisque defractis, femora antica aculeata, caetera inermia habere videtur. Epigyne tuber format crassum; margo posticus medius parietis epigastrii processum emittit latum, sursum (ventrem versus) curvatum, aeque fere longum ac latum, lateribus paene parallelis; ad utrumque latus processus huius, in epigynes pariete postico, foramen conspicitur subtriangulum, maximam partem lamellâ simili repletum. Cephal. 0·6 mm. lg.

Bulbus genitalis stylo evidentiori caret aut stylo e latere interiore exeunti, saepe in bulbi apice in circulum transverse positum curvato, ornatur, ita ut in palpo a latere exteriore adspecto stylus in apice bulbi solum conspiciatur. 2

2. Femora omnia aculeata. 3

— quatuor posteriora inermia. 5

3. Lamina tarsalis apicem versus paullo dilatata, apice parum oblique truncata, angulo utroque (exteriore longius) prominenti. Stylus in bulbi apice circulum format fere transverse (parum oblique) positum (Tab. III, fig. 11 b.). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **4. nigrinus.**

— — apicem versus angustata, oblique acuminata, angulo apicali interiore omnino obtuso rotundato. 4

4. Palporum pars tarsalis valde crassa, aeque saltem crassa atque oculorum area lata; bulbus ad apicem stylo ornatus gracili longo curvato; totum dimidium interius bulbi laminâ occupatur subplanâ, rotundatâ, antice acuminatâ (Tab. III, fig. 12 b.). Cephal. ca. 1·2—1·3 mm. lg. **5. approximatus.**

— — — parva, latitudinem areae oculorum longe non attingens; bulbus genitalis stylo setiformi caret, in processus quatuor porrectos desinit, quorum duo interiores, cornei, longe acuminati, acuti, apicibus leviter curvatis, praesertim facile conspiciuntur. Cephal. ca. 0·9—1·0 mm. lg. **8. torrentum.**

5. Bulbus genitalis apice stylo setiformi corneo, in circulum transverse positum curvato, ornatus. Cephal. ca. 0·7—0·75 mm. lg. **6. gracilis.**

— — stylo setiformi caret; bulbi dimidium apicale, in lineâ mediâ fere lamellâ ornatur in longitudinem positâ, parum inaequali, leviter excavatâ, cuius margo inferior praesertim facile conspicitur: incrassatus, obscure coloratus, fere in semicirculum curvatus (Tab. III, fig. 10.). Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **3. dorsalis.**

Species 1. **Bathyphantes concolor** *(Wider) 1834. „Linyphia".*

Linyphia concolor Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Theridion filipes Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Bathyphantes concolor Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely 20. VII. 85. ♂, 3. VI. 86. ♀, Tolcsva, Szerencs 20. III. 89. ♀, Szőllőske, B.-Szögh 15. IX. ♂♀, Szomotor, Királyhelmecz, Kaponya, Lelesz, N.-Tárkány, Széphalom, Gálszécs, Dargó 4. IV. 86. ♂, 15. VI. 86. juv., Nagymihály, Varannó, Beregszász, Szepsi, A.-Meczenzéf 2. VI. ♂, Szalánc 15. VII. 86. ♀, Tátrafüred (tarpataki völgy) 9. VIII. 87. ♂. II. Almádi. III. Farkasd, Kalocsa, Vencsellő. IV. Temesvár 29. IV. 92. ♀, Uj-Moldova, Szászkabánya, Berzászka, Herkulesfürdő 16. VII. 89. ♀. V. Szathmár, Biharfüred, Kolozsvár, N.-Szeben. VII. Orehovicza, Buccari. VIII. Velebit, Mrzla vodica 18. VIII. ♂, Diakovár.

Species 2. **Bathyphantes pullatus** *(Cambridge) 1863. „Linyphia".*

Linyphia pullata Cambr. 1879. Sp. Dors. — Bathyphantes pullatus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Bodrog-Szerdahely (unica ♀).

Species 3. **Bathyphantes dorsalis** *(Wider) 1834. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 10: maris pars tarsalis palpi sinistri.

Linyphia dorsalis West. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Linyphia Claytoniae Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Bathyphantes dorsalis Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Tokaj, A.-Bereczki, Szomotor, Sztrópkó, O.-Ruszka, Szinna 38. VIII. 87. juv., Győröcske, Bártfa, Zboró 12. VIII. 87. ♀, Gáboltó ♂♀, Szepes-Béla, Tátrafüred, Tátraháza, Csorbaitó, Lucski fürdő, Árva-Váralja. II. Tallós. III. Kecskemét. V. Szamosujvár, Borszék 7. VII. 86. ♂♀.

Species 4. **Bathyphantes nigrinus** *(Westring) 1851. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 11, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri desuper visa.

Linyphia nigrina Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Linyphia pulla Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Bathyphantes nigrinus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj 17. VIII. ♂, Nagymihály. IV. Temesvár 29. IV. 92. ♀.

Species 5. **Bathyphantes approximatus** *(Cambridge) 1871. „Linyphia".*

Descript. of some British Spiders caet. (Transact. Linnean Societ. XXVII).

Tab. III, fig. 12, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi sinistri a latere interiore visa.

Linyphia approximata Thor. 1875. Descr. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Bathyphantes approximatus Sim. 1884. Ar. Fr.

III. Gödöllő (unicam feminam legit 14. IV. 86. Biró), Rákosfalva 23. IV. 92. ♂.

Species 6. **Bathyphantes gracilis** *(Blackwall) 1841. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 13: epigyne.

Linyphia gracilis Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1881. Sp. Dors. — Linyphia circumspecta Blackw. 1864. l. c. — Thor. 1873. Rem. — Cambr. 1879. l. c. — Bathyphantes gracilis Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Szerencs, Varannó. VIII. Eszék.

Species 7. **Bathyphantes similis** *nova species Kulczyński.*

Tab. III, fig. 14: epigyne paullo a parte postica visa.

Femina.

Cephalothorax 1·05 mm. longus, 0·9 latus, antice sinuato-angustatus, fronte paullo plus duplo angustiore quam cephalothorax, leviter rotundatâ; oculorum area 0·45 lata, series anterior desuper visa totam fere latitudinem cephalothoracis occupare, oculi laterales seriei posterioris a cephalothoracis marginibus ne diametro suâ quidem distare videntur. A latere adspectum dorsum cephalothoracis inter partem cephalicam et thoracicam levissime impressum, in parte cephalicâ leviter convexum videtur; pars cephalica parum altior quam pars thoracica, oculorum mediorum posticorum puncta summa non demissius sita quam summa pars cephalica (?. — Amborum exemplorum, quae vidi, cephalothorax paullo contusus est). Pars thoracica subtiliter, pars cephalica subtilissime reticulata; impressiones cephalicae sat profundae, modice definitae, fovea ordinaria sat profunda, rotundata, in fundo sulco longitudinali ornata, impressiones radiantes partis thoracicae diffusae, parum expressae. *Oculorum* series posterior recta; oculi subaequales, magnitudine paullo variare videntur; medii inter se $^1/_3$ diametri aut circiter radio, a lateralibus radio suo aut circiter $^2/_3$ diametri remoti. Series anterior paullo procurva: margines superiores oculorum, quorum medii lateralibus multo minores sunt, lineam designant subrectam. Area oculorum mediorum postice duplo fere latior quam antice (ca. 7 : 4) et aeque lata aut perparum latior quam longa. Oculi laterales eminentiae communi obliquae, sat prominenti, innati. Clypeus sub oculis mediis altitudine circiter $^3/_5$ areae oculorum mediorum aequans, sub oculis excavatus, inferius leviter proiectus. *Mandibulae* clypeo paullo plus triplo longiores, parum longiores quam ambae simul sumptae basi latae, paene directae, apicem versus paullulum foras curvatae, subtilissime transverse reticulatae, apice intus oblique truncatae, parum rotundatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 3 ornatae. *Maxillae* lateribus exterioribus paene parallelis, apice parum oblique truncatae, angulo apicali exteriore

rotundato; earum pars ultra labium prominens labio longior; hoc valde breve, multo latius quam longum, basi excavatum. *Sternum* dense subtilissime reticulatum, modice nitens, postice inter coxas IV. productum et angustatum et sursum curvatum, a parte inferiore adspectum apice modice late rotundato truncatum et circiter duplo angustius quam coxae IV. videtur; coxae IV. circiter latitudine suâ inter se distant. *Pedes* longi, tenues, aculeis parum longis instructi: femur I. supra et in latere antico aculeis singulis, femur II. supra aculeo 1 ornatum, caetera inermia; patellae in apice aculeis singulis, tibiae supra aculeis 1.1, anteriores praeterea probabiliter in utroque latere aculeo 1 armatae, metatarsi inermes. Femur I. 1·8, patella 0·35, tibia 1·75, metatarsus 1·5, tarsus 1·05, partes pedum II.: 1·7, 0·3, 1·5, 1·4, 0·9, pedum III.: 1·1, 0·3, 0·9, 0·95, 0·65, pedum IV: 1·4, 0·3, 1·2, 1·2, 0·7 mm. longae. *Abdomen* (ovis despositis?) desuper visum paene ellipticum, antice paullulum truncatum, postice leviter acuminatum, 1·2—1·5 mm. longum, ca. 0·85 latum et altum. *Epigyne* processibus insigniter prominentibus caret; a parte inferiore adspecta aream format late ellipticam, latiorem quam longam, in longitudinem et in transversum modice convexam, leviter rugosam et pilosam; pars areae media postrema, parva, semicircularis aut fere triangularis, sulco plus minusve expresso definita, glabra est et nitida; in margine postico epigyne foveolâ ornatur parvâ, quae fere tota apiculo rotundato (quod certo scapi apex est) repletur.

Cephalothorax cum mandibulis, maxillis, palpis, pedibus, fusco-flavidus, colore rufo parum suffusus, margine fortius infuscato. Labium basi et sternum nigro-fusca. Abdomen nigro-fuscum, dorso maculis fusco-cinereis, non totam eius latitudinem occupantibus, ornato; dorsi dimidium anterius paribus macularum 3 pictum est, maculae paris 1-mi, prope marginem anticum sitae, rotundatae aut paullo obliquae sunt, maculae paris 2-di et 3-tii paene semilunares, transversae, antice excavatae; dimidium posterius fasciis ornatur transversis 3 aut 4, quarum anteriores leviter angulatae et medio plus minusve interruptae sunt.

Habitu species haec similis est *Bathyphantae torrentum* (Kulcz.), a quo differt femoribus 4 posterioribus inermibus, epigynes formâ, caet.: magis affinis videtur *Bath. gracili* (Blackw.), cui praesertim epigynes formâ similis est, maior est tamen, pedes IV. cum pedibus I. comparatos breviores habet, epigynes paries inferior postice insigniter rotundatus est (neque, ut in *B. gracili*, paene recte truncatus).

IV. Herkulesfürdő 28. VII. 1892. ♀ et iuv. legit Biró.

Species 8. **Bathyphantes torrentum** *(Kulczyński) 1882. „Linyphia". Araneae in mont. Tatricis . . . collectae.*

I. Pietroz havas, Tátra (hlinszkai völgy).

Species 9. **Bathyphantes (?) cyaneonitens** *Kulczyński 1887. Symbola ad faunam arachnoidarum Tirolensem.*

I. S.-A.-Ujhely ♀. II. Almádi ♀.

Genus 31. **Porrhomma** *(Simon) 1884. (pro parte).*

Linyphia Westring. 1861. (ad part.). — Thorell. 1869. (ad p.). — Cambridge. 1879. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Neriene Blackwall. 1864. (ad p.). — Cambridge. 1881. (ad p.).

Femora I. aculeis 2, II. aculeo 1 armata; tibiae I. et II. supra aculeis 2 valde tenuibus, illae praeterea apicem versus in latere utroque, hae in latere postico aculeo 1 instructae. Cephalothorax et sternum subtilissime reticulata. Epigyne foveolâ ornatur profundâ, transversâ, paene ellipticâ, semirotundâ, aut angustiore, margine postico medio plus minusve elevato. Maris palporum pars tibialis crassior quam patellaris, apicem versus dilatata; paracymbium planum, falcatum; bulbi pars apicalis exterior apice late rotundato-truncato et infra in apiculum parvum porrectum producto; apex bulbi intus spinâ (embolo) ornatur nigrâ gracili curvatâ, et ad eam processu simili, plerumque paullo pallidiore et minus acuto.

Oculi antici medii lateralibus non multo minores, ab eis spatio quam diameter sua non maiore remoti. Oculorum mediorum area postice non diametro oculi latior (nonnunquam non multo latior) quam antice. Oculorum posteriorum margines postici lineam levissime recurvatam, rectam, aut leviter procurvam designant. Abdomen saepissime nigricans. Paracymbium (Tab. III, fig. 15.) a medio apicem versus non evidenter angustatum, prope apicem in margine superiore (posteriore) levissime incisum. Cephal. 0·7—1·0 mm. lg. **1. pygmaeum.**

— — — lateralibus multo minores, ab eis spatio quam diameter sua plerumque evidenter aut insigniter maiore remoti, aut (in var. *oblonga*) oculi omnes minuti, antici laterales mediis parum maiores, ab eis spatio remoti quam diameter sua sescuplo aut plus duplo maiore. Oculorum mediorum area postice diametro oculi saltem latior quam antice. Oculorum posteriorum margines postici lineam rectam aut plus minusve procurvam designant. Abdomen saepissime pallide coloratum. Paracymbium (Tab. III, fig. 16.) latius et brevius quam in priore; pars eius apicalis, quae anteriora versus et sursum directa est, apicem versus paullo angustata, margine superiore (posteriore) prope apicem levissime sinuato. Cephal. ca. 1·1—1·2 mm. lg. — Species haec oculorum magnitudine et situ valde varians,[1]) a specie praecedenti, cui partium genitalium structurâ valde affinis est, nonnunquam difficilius distinguitur. **2. errans.**

Femina *Porrhommatis Rosenhaueri* (L. Koch), cuius exempla duo ad Muggendorf lecta, a Cel. Dre L. Kochio communicata examinavi, simillima est formis microphthalmis *Porrhommatis errantis;* minor videtur (cephalothorace 0·9—1·0 mm. longo), pedes graciliores habet. Epigynes forma eadem atque in *P. erranti* et similem in modum varians (cfr. descriptionem „*Linyphiae microphthalmae*" nostram in „Aran. nov. in mont. Tatricis . . . collectae"). Mas probabiliter facilius a *P. erranti* distinguitur, paracymbium enim — teste Cel. E. Simone — apicem versus fortius curvatum et angustatum, apice in latere superiore in lobum parvum rotundatum dilatatum est.

Species 1. **Porrhomma pygmaeum** *(Blackwall) 1834. „Neriene".*

Tab. III, fig. 15: paracymbium palpi dextri.

Neriene pygmaea Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1881. Sp. Dors. — Erigone? pygmaea Thor. 1873. Rem. — Erigone barbata Thor. 1875. Descr. — Porrhomma pygmaeum Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely (Kopaszhegy) mart. ♂♀, Tolcsva, Tokaj, Szerencs 23. III. 91. ♂♀, Szőllőske, B.-Szerdahely, K.-Helmecz 12. V. 89. ♂, Szomotor, Lelesz, Czigánd, Széphalom 25. IV. 89. ♂, 8. VI. ♀, Nagymihály, Beregszász, Szalánc, Körtvélyes. II. Sopron. III. Hadház 15. VII. 89. ♀, Rakamaz. IV. Duplaj. VIII. Diakovár.

Species 2. **Porrhomma errans** *(Blackwall) 1841—64. „Neriene".*

Tab. III, fig. 16: paracymbium palpi dextri.

Neriene errans Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Linyphia errans Thor. 1873. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Linyphia Thorellii O. Herm. 1879. — Porrhomma errans Sim. 1884. Ar. Fr. — Linyphia oblonga Cambr. 1879. Sp. Dors. — Linyphia incerta Id. ibid. — Linyphia microphthalma Kulcz. 1882. Ar. nov. in mont. Tatricis, caet.

Linyphia Thorellii O. Herm., cuius exempla duo feminina, probabiliter typica (ad Alsó-Hámor lecta) in Museo Budapestinensi Nationis Hungaricae conservantur, a formâ macrophthalmâ *Porrhommatis errantis* differre non videntur.

---

[1]) Cfr.: W. Kulczynski, Araneae novae in montibus Tatricis . . . collectae, 1882., pag. 11.; F. M. Campbell, The Spiders of the neighbourhood of Hoddesdon . . . (Transact. of the Hertfordshire Natural History Society, Vol. II. Part 7, 1883.) pag. 263, 264; O. P. Cambridge, On new and rare British Spiders, with some Remarks on the Formation of New Species (Proceed. of the Dorset Natural History and Antiquarian Field Club, 1884.) pag. 9. — Rev. O. P. Cambridge, qui exempla „*Linyphiae microphthalmae*" a me descripta vidit, ea ad *Lin. oblongam* pertinere declaravit. — Utrum *Porrhommata* omnia, ut species propriae descripta (ex. gr. *Neriene pygmaea* Blackw., *Linyphia convexa* Westr., *L. Rosenhaueri* L. Koch, *L. microphthalma* Cambr., *L. decens* Cambr., *Erigone inconspicua* Cambr., *Linyphia Calypso* Bertk., *Porrhomma Egeria* E. Sim., *P. myops* E. Sim., *P. Proserpina* E. Sim., *P. diabolicum* E. Sim. caet.) revera species sint distinctae, an formae modo et varietates paucarum specierum, amplius mihi examinandum videtur.

I. Mád: in cellis vinariis multa legimus exempla, mares et feminas oculis magnis, posticis mediis (qui in maribus plerumque minores sunt quam in feminis) a lateralibus modo plus duplo longius, modo non evidenter longius quam inter se remotis.

V. Rézbánya: 2 exempla, ♀, ambo oculis magnis, serie oculorum anticâ rectâ; alterius oculi postici spatiis inter se subaequalibus remoti (intervallum medium lateralibus paullulum minus, minus quam diameter oculorum mediorum, intervalla lateralia diametro huic subaequalia), marginibus posterioribus lineam rectam designant; alterius oculi postici medii inter se spatio quam radius non multo maiore, a lateralibus circiter diametro suâ remoti, margines postici oculorum horum lineam levissime procurvam designant.

V. Szegyestel: 23. VIII. duo exempla, ♀; alterius situs et magnitudo oculorum similia atque in exemplo 2-do in Rézbánya lecto; alterius oculi, praesertim medii postici insigniter minores: oculi medii postici inter se spatio non multo quam diameter minore, a lateralibus spatiis quam diameter evidenter (circiter quartâ parte) maioribus remoti; margines postici oculorum posteriorum lineam levissime procurvam designant.

Antrum prope Abaliget: pauca exempla feminina, oculorum situ et magnitudine similia exemplo secundo Rézbanyensi, marginibus posticis oculorum posteriorum modo rectam, modo leviter procurvam lineam designantibus.

Species 3. **Porrhomma Rosenhaueri** *(L. Koch) 1872. „Linyphia".*

Linyphia Rosenhaueri L. Koch 1872. Apterolog. aus d. fränkisch. Jura. — O. Herm. 1879. — Porrhomma Rosenhaueri E. Sim. 1884. Ar. Fr.

Teste Cel. O. Hermanio occurrit haec species in antro Baradla prope Agtelek. Feminam solam vidit Cel. O. Herman, quae, ut supra dictum est, a femina *Porrhommatis errantis* difficillime distinguitur.

Genus 32. **Oreoneta**[1]) *novum genus Kulczyński.*

Porrhomma Simon 1884. (ad part.: *montigenum* L. Koch).

O. nigra. Cephalothorax rufo-testaceus, saepissime insigniter infuscatus, ut sternum laevis nitidus, pedes rufo-testacei, abdomen fuscum aut fusco-cinereum, pictura evidentiori caret. *Feminae* cephalothorax antice parum angustatus: pars cephalica ad oculorum seriem posteriorem aeque lata atque $^2/_3$ cephalothoracis et dimidio latior quam haec series. Dorsum partis cephalicae sat fortiter convexum, eius pars summa insigniter supra oculos medios posticos elevata. Mandibulae in sulci unguicularis margine antico dentibus quatuor armatae. Epigyne tuberculum format transversum, modice elevatum, pariete postico magis quam anticus praerupto; paries posticus sulco optime expresso, profundo, semicirculari, antice medio breviter interrupto, circumscriptus, foveolis ornatus duabus, inter se carinulâ longitudinali, plus minusve definitâ, distinctis (Tab. III, fig. 17 a.). *Maris* pars cephalica angustior, ad oculorum seriem posteriorem aeque circiter atque $^4/_7$ partis thoracicae lata. Palporum pars patellaris supra circiter $1^1/_2$ longior quam lata, pars tibialis supra basim partis tarsalis producta in processum latum, apice oblique acuminatum et deflexum, cum hoc processu insigniter longior et latior quam pars patellaris; paracymbii pars apicalis subplana, apicem versus paullo dilatata; bulbus genitalis apice processibus brevibus nigris tribus ornatur: processus supremus in palpo a latere exteriore viso partibus aliis plus minusve occultatur, infimus dens est acutus anteriora versus et deorsum directus, processus medius longior, sinuatus, anteriora versus et foras directus, in latere interiore ramulo ornatur gracili, anteriora versus curvato (Tab. III, fig. 17 b.). Cephal. ♂ ca. 1·4, ♀ ca. 1·5—1·6 mm. long.

Simillima species est *Oreoneta montigena* (L. Koch)[2]); differt paullo partium genitalium formâ: epigyne, similis atque in *O. nigra*, sulco distincto caret, tuberculo obliquo utrimque ornatur, quod postice s. intus sulco vadoso limitatur; processus medius, quo apex bulbi genitalis ornatur, simplex est, ramo nullo instructus.

---

[1]) ὄρος, το, νέω.

[2]) *Erigone montigena* L. Koch, 1872., Beitrag z. Kenntn. d. Arachnidenfauna Tirols, 2-e Abhandl. — ? *Erigone pacifica* Thor. 1875. Descript. — *Porrhomma montigena* Sim. 1884. Ar. Fr.

Species 1. **Oreoneta nigra** (*F. O. P. Cambridge*) *1891. „Tmeticus".*

Tab. III, fig. 17 *a:* epigyne, paullo levata, a parte inferiore postica visa, *b:* maris pars tarsalis et tibialis palpi dextri.

Tmeticus niger F. O. P. Cambridge 1871. Descript. Notes on some obscure British Spiders .... (Ann. a. Magaz. Nat. Hist. VI. Ser. Vol. 7. No. 37.).

I. Tátra (Viszoka, Nefczeri völgy, Mengusfalvi csúcs, Svisztova völgy, Jégvölgyi csúcs, Tarpataki völgy).

Genus 33. **Macrargus** *Dahl 1886.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Porrhomma Simon 1884. (ad p.). — Tmeticus Simon 1884. (ad p.).

Feminae.

Epigyne processum format tertiam partem spatii epigastrio et mamillis interiecti circiter aequantem aut superantem, ventri paene parallelum (nonnunquam deorsum deflexum), longiorem quam latum, deplanatum, lateribus parallelis, apice late et plus minusve inaequabiliter rotundato, in angulo apicali superiore appendice instructum corneâ, quam processus ipse insigniter angustiore, subtriangulâ, medio excavatâ, marginibus elevatis. A latere adspectus processus ubique (exceptâ appendice apicali) paene aequali est crassitudine. Cephal. ca. 1·6—2·0 mm. lg. **2. adipatus.**

— tuber format, cuius apex (e „scapo" fortiter in longitudinem curvato constans) a latere adspectus rotundatus, a parte inferiore aut inferiore et anteriore adspectus truncatus videtur; ad apicem in utroque latere paries tuberis in sinum paene circularem, ventrem versus anguste apertum excisus est; paries tuberis superior sive posterior, non procul ab apice, apiculo minuto ornatur. Cephal. ca. 1·5—1·8 mm. lg. **1. rufus.**

Mares.

Palporum pars tarsalis brevior quam patellaris cum tibiali. Bulbus genitalis taeniâ ornatur insigni longitudine, parum latâ, non procul a suâ basi mediâ lamellae corneae, quae bulbi latus interius et basim occupat, innatâ, primo anteriora versus directâ, tum subito foras et retro (paracymbium versus) curvatâ, paullo post anteriora versus et foras flexâ, usque ad bulbi apicem pertinenti, prope cum fortiter sinuatâ. Paracymbii pars a laminâ tarsali deorsum descendens in dentem latum, retro directum, dilatata; partis apicalis, oblique sursum directae, paries exterior (reflexus) prope apicem in sinum sat profundum excisus, pone eum non dilatatus (Tab. III, fig. 18.). Cephal. ca. 1·5—1·8 mm. lg. **1. rufus.**

— — — longior quam patellaris cum tibiali. Pars bulbi, taeniae supra descriptae respondens, lamellam format bulbi partem mediam exteriorem occupantem, transverse positam, apicem versus postice rotundatam, antice recte fere truncatam, itaque prope laminae tarsalis latus exterius medium in angulum acutum desinentem, bulbi apicem versus non productam. Paracymbii forma similis fere atque in priore, paries tamen externus partis apicalis insigniter latior pone sinum, quam ante eum (Tab. III, fig. 19.). Cephal. ca. 1·5—1·7 mm. lg. **2. adipatus.**

Species 1. **Macrargus rufus** (*Wider*) *1834. „Theridium".*

Tab. III, fig. 18: maris pars tarsalis palpi sinistri.

Erigone robusta & E. erythrocephala Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriene rubripes Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Erigone rufa Thor. 1871. Rem. — Neriene rufa Cambr. 1879. Sp. Dors. — Tmeticus rufus Sim. 1884. Ar. Fr. — Macrargus rufus Dahl. 1886.

I. Szőllőske, Homonna. V. Borszék, N.-Szeben.

Species 2. **Macrargus adipatus** *(L. Koch) 1872. „Linyphia".*
Beitrag z. Kenntn. d. Arachnidenfauna Tirols, II. Abh.

Tab. III, fig. 19: maris pars tarsalis palpi sinistri.

Linyphia reticulata Cambr. 1881. Sp. Dors. — Porrhomma adipatum Sim 1884. Ar. Fr.

I. Tátra (Liliove és Jegestórét).

Genus 34. **Leptorhoptrum**[1]) *novum genus Kulczyński.*

Neriene Blackwall 1864. (ad part.). — Cambridge 1881. (ad p.). — Erigone Thorell 1870—73. (ad p.). — Tmeticus Simon 1884. (ad p.).

L. Huthwaithii. Epigyne parum convexa, ultra epigastrii marginem non producta; eius margo posticus subrectus aut leviter arcuatus (procurvus), inter eum et ventrem rima conspicitur (abdomen a parte posteriore et inferiore adspicias!) transversa, utrimque maculâ parvâ nigrâ aut fuscâ, medio autem maculâ pallidiore transversâ (non semper distinctâ) ornata (Tab. III, fig. 20 a.). — *Maris* pars tarsalis palporum brevior quam pars tibialis, non evidenter crassior quam eius apex; pars tibialis insigniter longior quam pars patellaris, ca. duplo longior quam lata, apicem versus paene aequabiliter dilatata; pars patellaris circa sescuplo longior quam lata. Paracymbium, bulbo adpressum, subplanum, a laminae tarsalis margine sinu sat angusto distans, difficilius conspicitur. Bulbi genitalis pars apicalis exterior in apicula duo (alterum corneum nigrum, alterum eo paullo latius et pallidius) desinit; partem bulbi interiorem processus occupant duo longe attenuati, acuti, basi inter se connati, a basi bulbi usque ad eius apicem pertinentes (Tab. III, fig. 20 b.). (Non raro bulbus distortus invenitur adeo, ut ex. gr. apicula illa duo in parte suâ basali exteriore iaceant, processus lanceolati in parte apicali exteriore, caet.). Mandibularum dorsum latus exterius versus granulis dispersis ornatum.[2]) — Cephal. feminae ca. 1·8—2·0, maris 1·8—2·2 mm. lg.

Species 1. **Leptorhoptrum Huthwaithii** *(Cambridge) 1861. „Neriene".*

Tab. III, fig. 20 *a:* epigyne a parte postica visa, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Neriene Huthwaithii Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1881. Sp. Dors. — Erigone Huthwaithii Thor. 1871—73. Rem. — Tmeticus Hutwaithii Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Bustyaháza ♀, Tátra (Holica, Tichai és Szmrecsinai völgy). V. Kolozsvár.

Genus 35. **Centromerus** *(Dahl) 1886.*

Linyphia Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Erigone Westring 1861. (ad p.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Tmeticus Simon 1884. (ad p.).

Feminae.

1. Tibiae quatuor anteriores subter serie duplici aculeorum gracilium armatae. Femora quatuor anteriora aculeata, posteriora inermia. Metatarsi anteriores supra pilo caeteris longiore instructi, posteriores aculeati. Epigynes paries inferior postice ita incisus, ut ligulam formet brevem, transversam, postice recte fere truncatam, rugosam; pone eam ligula conspicitur profundius sita, multo angustior, subtriangularis, marginibus elevatis, glabra, rufa (Tab. III, fig. 21.) Cephal. ca. 1·2—1·5 mm. lg. **1. bicolor.**

---

[1]) λεπτός, ῥόπτρον.

[2]) Ad I. Klastromaljam lectum est exemplum unum, masculinum, bulbi genitalis formâ paullo a *L. Huthwaithii* differens, caeterum ei omnino simile: loco processuum lanceolatorum in bulbi parte interiore adest processus unicus, apicem versus non angustatus, membranaceus. Ambo palpi formâ inter se non differunt quidem, embolo tamen carere videntur, quam ab rem marem hunc pro exemplo monstroso *L. Huthwaithii* potius (embolo carenti, conductore emboli dilatato), quam pro specie propria habuerim.

[Occurrit minor, cephalothorace ca. 1 mm. longo, oculis posticis spatiis quam diameter multo minoribus, non ut in formâ typicâ circiter diametro aut longius remotis. **var. concinnus.**]
— subter non aculeatae. 2

2. Tibia IV. supra aculeis duobus armata. Femur I. aculeis duobus saltem (supra et in latere antico) instructum; femur II. aculeatum; tibia I. in latere antico non procul a medio spinâ debili armata. 3
— — — aculeo uno armata; femur I. aculeo debili (quam pili ad apicem femoris subter siti non crassiore, eis multo breviore) ornatum, caetera inermia; tibia I. in latere antico nullo pilo, qui caeteris evidenter crassior aut longior sit, instructa. Epigyne foveâ magnâ ornatur, transversâ, reniformi, margine circumdatâ nitido glabro, antice medio interrupto, scapo dimidiatâ, qui ubique aequali fere est latitudine et ultra foveae marginem posticum insigniter prominet; pars foveae lateralis anterior utraque tubere occupatur rotundato glabro nitido (Tab. III, fig. 28 a.). Cephal. ca. 0·7—0·8 mm. lg. **8. arcanus.**

3. Epigyne foveâ ornatur parvâ, totâ tuberculo aeque circiter longo ac lato, glabro, nitido, aeque atque foveae margines elevato, repletâ (Tab. III, fig. 22.). Cephal. ca. 1·4 mm. lg. **2. expertus.**
Epigynes fovea magna, non tota repleta. 4

4. Foveae margo anticus fortiter recurvatus (arcuatus aut angulatus), medio processu parvo subtriangulari aut processu magno rotundato-trapezoideo, postice latiore, ornatus. . . . 5
— — — magnam partem inaequaliter procurvus, sive ligulam formans brevem, latam; quae ligula postice angustata in foveae fundum descendit, ubi subito in lamellam transversam dilatatur, aeque circiter atque coxae IV. latam aut parum angustiorem, lateribus rotundatam, margine postico medio in apiculum rotundatum, ultra foveae marginem posticum prominentem producto. 6
— — — rectus, insigniter supra marginem posticum elevatus (ita, ut fovea, quae sat lata, transverse elliptica, est, melius a parte posteriore quam ab inferiore conspiciatur), laevis. Scapi, profunde siti, apex solus facile conspicitur, deorsum flexus, tuberculum formans glabrum, triangulare aut rotundatum, aeque fere atque foveae margo anticus elevatum, ultra foveae marginem posticum (in abdomine a parte inferiore adspecto) paullo prominens, quam fovea circiter triplo angustius (Tab. III, fig. 23 a.). Cephal. ca. 1·3—1·5 mm. lg. **3. pabulator.**

5. Processus cum foveae margine antico medio coniunctus parvus, subtriangularis; fovea fere semicircularis, angulis lateralibus rotundatis, scapo dimidiata latitudine parum inaequabili, pedum tarsis non latiore, antice cum foveae margine antico coniuncto (processum supra dictum formanti), tum in foveam fortiter impresso, apicem versus deflexo, paullo ultra foveae marginem posticum prominenti (Tab. III, fig. 27 a.). Cephal. ca. 0·9—1·1 mm. lg. **7. incilium.**
— — — — — — — sat magnus, posteriora versus dilatatus; pone eum processus conspicitur profundius situs, angustior, apicem versus sinuato-angustatus, marginibus elevatis, ultra foveae marginem posticum prominens (Tab. III, fig. 26.). Cephal. ca. 0·8 mm. lg. **6. silvicola.**

6. Epigynes fovea posteriora versus angustata; ligulae supra commemoratae pars antica crasse plicata; foveae margo posticus totus fere lamellâ eâ occupatur, in quam ligulae pars in foveam impressa dilatata est (Tab. III, fig. 24.). Femora I. plerumque aculeo 1 supra, 1 in latere antico, femora II. aculeo 1 supra armata. (Armatura pedum paullo mutabilis est; occurrunt exempla femoribus quatuor anterioribus aut omnibus, aut ad partem in dorso aculeis binis instructis, femoribus III. aculeatis). Cephal. ca. 1·2—1·5 mm. lg. **4. silvaticus.**
— — — — dilatata; ligulae pars antica subtiliter in transversum plicata; pars postica, quae in foveam impressa et dilatata est, tota fere in foveâ ipsâ iacet, ultra eius marginem posticum apex angustatus solus prominet et marginis huius ne $^1/_3$ quidem occupat (Tab. III, fig. 25 a.). Femora I. et II. supra aculeis binis armata. Cephal. ca. 1·0—1·2 mm. lg. **5. similis.**

Mares.

1. Palporum pars tibialis desuper adspecta circiter sescuplo longior quam lata, latere exteriore ad basim in tuber transversum elevato, setis ca. 12 crassiusculis, pilosulis, quam pars ipsa longioribus, inter se subparallelis et subaequali longitudine, ornato; caeterum pars tibialis ubique subaequali est latitudine. Lamina tarsalis ad basim in latere exteriore in tuber elevata

crassum, apice late rotundatum. Cephal. ca. 1·5—1·6 (maris var. *concinnae*, quem non novi, paullo plus 1 mm.) lg. **1. bicolor.**
Latus exterius partis tibialis armaturâ non insigne. 2
2. Bulbus genitalis basi processu instructus longo, gracili, deorsum et foras directo (situ varianti), subrecto, parum indurato, apicem versus levissime dilatato, apice in fasciculum brevissimum e pilis paucis constantem diviso (processus hic in bulbo non distorto optime a parte exteriore aut ab exteriore et superiore conspicitur). Paracymbium apice incisurâ sat profundâ, angustâ, in apicula duo subaequalia obtusa diviso. Lamina tarsalis (quam a latere exteriore adspicias!) basi leviter angulata, in tuber distinctum non elevata. Pars patellaris palporum setâ longâ gracili, pars tibialis setâ aeque circiter longâ, non multo tenuiore ornata. Cephal. ca. 1·2—1·3 mm. lg. **2. expertus.**
Processus basim bulbi ornantis, deorsum aut foras directi, cornei, forma alia: apex acutus aut obtusus, non in fasciculum pilorum solutus. 3
3. Paracymbii pars inferior carinâ ornata arcuatâ, margini inferiori subparallelâ, denticulatâ. Lamina tarsalis prope basim in latere exteriore in angulum subacutum, retro directum, elevata. Palporum pars patellaris spinâ instructa sat crassâ, multo crassiore quam pili, quibus pars tibialis ornatur. Mandibularum dorsum prope marginem exteriorem serie denticulorum minutorum ornatum. Cephal. ca. 1·3—1·5 mm. lg. **4. silvaticus.**
Carina paracymbii non denticulata. 4
4. Lamina tarsalis supra ad basim in tuberculum conicum elevata. 5
— — — in longitudinem aequabiliter arcuata. Paracymbium apice oblique acuminato, non exciso, angulo basali inferiore in dentem sat latum, acutum, nigrum, retro et parum sursum directum, producto. Partes patellaris et tibialis supra setis singulis instructae, inter se parum inaequalibus. Bulbus genitalis basi processibus tribus corneis instructus, inter se et margini paracymbii subparallelis, medio profundius quam ambo laterales sito; e processibus his internus modo in palpo a latere exteriore inferiore adspecto paullo prominet, dentem formans acutum, brevem, paene anteriora versus directum (Tab. III, fig. 28 b.[1]). Cephal ca. 0·9—1·1 mm. lg. **8. arcanus.**
5. Paracymbium apice incisum, in apicula duo brevia obtusa desinens. Bulbus basi processu evidentiori carere videtur (adest quidem spina gracilis cornea, sed margini paracymbii subparallela et paracymbio plus minusve occulta, in palpo a latere adspecto plerumque difficilius conspicitur); apex bulbi processu ornatur nigro, qui in palpo a latere interiore adspectus in ramulos duos subaequali longitudine sed inaequali crassitudine, inter se proximos et parallelos divisus videtur[2]) (Tab. III, fig. 25 b, c.). Cephal. ca. 1 mm. lg. **5. similis.**
— — truncatum aut acuminatum. Bulbi dens apicalis apicem versus dilatatus, apice transverse truncatus aut emarginatus, infra apicem in latere exteriore ramulum emittit gracilem, patentem (qui ramulus, profundius situs, nonnunquam difficilius conspicitur). . 6
6. Bulbus genitalis ad paracymbii marginem inferiorem spinâ gracili nigrâ, plus minusve deorsum prominenti ornatus (Tab. III, fig. 23 b.). Cephal. ca. 1·5—1·6 mm. lg. **3. pabulator.**
— — — — — — nullâ spinâ evidentiori instructus (Tab. III, fig. 27 b, c.). Cephal. ca. 1—1·1 mm. lg. **7. incilium.**

Species 1. **Centromerus bicolor** *(Blackwall) 1833. „Neriene".*

Tab. III, fig. 21: epigyne.

Linyphia comata Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriene bicolor Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Linyphia bicolor Thor. 1870. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Tmeticus bicolor Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely.

---

[1]) Figura haec palpum a latere exteriore et paullo a parte inferiore visum repraesentat; *1* dens paracymbii est, *2* processus bulbi basalis externus, *3* apex processus medii, *4* processus internus.

[2]) Ramuli re vera inaequali sunt longitudine. — Processus hic deest in palpo dextro maris in Hungaria lecti, probabiliter casu quodam defractus.

Species 2. **Centromerus expertus** *(Cambridge) 1871. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 22: epigyne.

Linyphia experta Cambr. 1871. Descript. of s. Brit. Spid. new to science (Trans. Linn. Soc. XXVII.). — Thor. 1871—73. Rem. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Tmeticus expertus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Beregszász. V. Szathmár.

Species 3. **Centromerus pabulator** *(Cambridge) 1875. „Erigone".*

Tab. III, fig. 23, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Erigone pabulatrix Cambr. 1875. On. s. new Sp. of Erigone. P. II. (Proced. Zool. Soc.). — Tmeticus pabulator Sim. 1884. Ar. Fr. — Kulcz. 1887. Symb.... Tirol. pag. 329 (epitom. p. 9.).

I. Tátrafüred, Csorbaitó, Tátra (Javorina), Kis-Kriván. V. Biharfüred.

Species 4. **Centromerus silvaticus** *(Blackwall) 1841. „Neriene".*

Tab. III, fig. 24: epigyne.

Erigone silvestris Westr. 1864. Ar. Suec. — Neriene silvatica Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone silvatica Thorell 1871. Rem. — Tmeticus silvaticus Sim. 1884. Ar. Fr. — Centromerus silvaticus Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, B.-Szögh, 15. IX. ♀, Páczin, Lelesz, N.-Tárkány, Dargó, Varannó, Homonna, Beregszász, Bustyaháza, Tátra. III. N.-Kőrös, Kecskemét (♂♀). IV. Ruszkabánya. V. Kolozsvár, Borszék, Brassó (Rámahegy).

Species 5. **Centromerus similis** *nova species Kulczyński.*

Tab. III, fig. 25 *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri a latere exteriore, *c:* eadem a latere interiore visa.

Femina.

Cephalothorax ca. 1·1 mm. longus (aut paullo brevior: ca. 1·0 mm. lg.), ca. 0·85 latus, antice inaequabiliter (laeviter sinuato-) angustatus, fronte late rotundatâ, circiter 0·4 mm. latâ, ad oculorum seriem posteriorem, quae 0·33 mm. longa est, ca. 0·44 mm. latus. Dorsum cephalothoracis inter partem thoracicam et cephalicam perparum impressum, in parte cephalicâ leviter convexum; pars haec parum altior quam pars thoracica. Cephalothorax subtilissime reticulatus, nitidus; impressiones cephalicae sat profundae, impressiones radiantes partis thoracicae parum profundae et parum definitae, fovea ordinaria lata, modice profunda, parum definita. *Oculorum* series posterior paullulum procurva, oculi medii rotundati, lateralibus oblongis paullulum minores, inter se et ab his spatiis paene aequalibus, fortasse $^3/_4$ diametri suae aequantibus, remoti, aut lateralibus non evidenter minores, inter se et ab eis spatiis quam radius non multo maioribus distantes. Series anterior paullo procurva: oculorum margines superiores lineam subrectam designant; oculi medii caeteris omnibus insigniter minores, inter se et a lateralibus spatiis subaequalibus, diametro suâ minoribus, remoti. Area oculorum mediorum postice duplo fere latior quam antice, vix latior quam longa, et aeque fere longa atque clypeus sub ea altus est; hic sub oculis non evidenter impressus, paullulum proiectus. *Mandibulae* paene triplo longiores quam clypeus altus, aeque longae atque ambae simul sumptae latae, paullulum reclinatae, paene laeves, dorso versus latus interius pilis binis fortibus, in dimidio basali et prope medium, instructae, apice intus rotundatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus duobus (et supra eos denticulo minuto?) ornatae, in sulci eiusdem margine postico, ut videtur, inermes. *Maxillae* lateribus exterioribus inter se anteriora versus paullo appropinquantibus, apice parum oblique truncatae; earum pars ultra *labii* apicem prominens

labio insigniter longior; hoc breve, multo latius quam longum, margine elevato instructum. *Sternum* subtilissime reticulatum, sat nitidum, postice inter coxas IV. productum et angustatum et sursum curvatum; pars eius inter coxas has sita eis evidenter angustior. *Pedes* mediocri crassitudine et longitudine; tibia cum patella I. 1·27, metatarsus 0·78, tarsus 0·62, partes eaedem pedum II. 1·14, 0·75, 0·55, pedum III. 0·97, 0·68, 0·49, pedum IV. 1·40, 0·94, 0·58 mm. longae. Femur I. in latere antico aculeo 1, supra aculeis 1.1, femur II. supra aculeis 1.1, femur III. supra plerumque aculeo 1 armatum; tibiae probabiliter omnes (4 posteriores saltem) aculeis 1.1, tibia I. praeterea in latere antico parum pone medium aculeo 1 instructa. *Abdomen* ovatum, in dimidio posteriore latius, postice leviter acuminatum, 1·5—2·0 mm. longum, 1·0—1·5 latum, 1·1—1·4 altum. *Epigyne* neque insigniter elevata, neque ultra epigastrii marginem insigniter prominens, foveâ ornata 0·32—0·37 mm. latâ, multo latiore quam longâ, margine antico in angulum obtusum fracto, insigniter in foveam ingredienti, sublibrato, ligulam formanti latissimam, subtiliter in transversum striatam; posteriora versus fovea leviter dilatatur; eius margo posticus leviter arcuatus, procurvus. Ligulae commemoratae apex subito in foveae fundum descendit, ubi in lamellam dilatatur transversam, lateribus rotundatis, apicem versus sinuato angustatam, apice rotundatam. Pars lamellae lata in foveâ ipsâ iacet, ultra eius marginem apex angustatus solus prominet.

Cephalothorax cum mandibulis maxillis palpis pedibus rufo-testaceus colore fusco paullulum suffusus, marginibus parum fortius infuscatis. Sternum et labii basis fusca. Abdomen cinereo-fuscum, picturâ evidentiori caret; mamillae pallidiores.

Mas (probabiliter huius speciei) feminae similis. *Cephalothorax* 1·0 mm. longus, 0·8 latus, fronte 0·36 latâ. Area oculorum 0·32 mm. lata, cephalothorax ad oculorum seriem posteriorem ca. 0·45 mm. latus. Fovea ordinaria oblonga (nota probabiliter paullo mutabilis). *Oculi* postici medii lateralibus non evidenter minores, intervalla omnia radio mediorum non maiora; oculi antici medii a lateralibus paullo longius quam inter se distare videntur. *Mandibulae* $2^1/_2$ quam clypeus longiores, margine exteriore non denticulato. *Maxillae* paullo fortius in labium inclinatae et fortius convexae quam in feminâ.[1]) *Pedum* I. et II. femora supra aculeis singulis ornata videntur, femora III. inermia. Tibia cum patella I. ca. 1·14, metatarsus 0·70, tarsus 0·55, partes eaedem pedum II. 1·02, 0·66, 0·50, pedum III. 0·85, 0·60, 0·44, pedum IV. 1·17, 0·81, 0·52 mm. longae. *Palpi* breves; pars femoralis subcylindrata; pars patellaris lateribus paene parallelis, circiter $^1/_4$ longior quam lata, ad apicem in latere superiore exteriore setâ instructa crassâ, subrectâ (levissime sinuatâ); pars tibialis vix longior quam patellaris, desuper visa eâ non multo latior, apicem versus leviter dilatata, dorso subrecto, latere inferiore fortiter convexo, ad apicem in latere superiore exteriore setâ ornata aeque fere crassâ atque seta patellaris, paullo longiore, arcuatâ. Pars tarsalis aeque circiter longa atque femoralis, insigniter (paene dimidio) longior quam pars patellaris cum tibiali; lamina tarsalis basi in tuberculum elevata paullo compressum, retro et sursum et foras directum, apice acuminatum et foras flexum; latus superius (s. anticum) tuberculi huius cum dorso laminae tarsalis a latere adspectae in lineam rectam confluit; desuper adspecta lamina tarsalis a basi ultra medium inaequabiliter dilatata videtur, latere exteriore lobos duos rotundatos formanti (lobus basi propior, minor, deplanatus, in carinulam compressus est longitudinalem, foras spectantem); non procul ab apice latus exterius laminae tarsalis in sinum profundum excisum est. Latus interius laminae tarsalis paene aequabiliter excavatum, apex rotundato-truncatus et paullulum sinuatus. Paracymbium sat magnum, partes eius liberae (deorsum descendens, quae cum apice partis tibialis contingit, et pars anteriora versus directa) carinâ ornatae paene in semicirculum curvatâ, glabrâ; apex oblique truncatus, apiculâ duo brevia obtusa format, quorum posterius, foras flexum, melius a latere inferiore quam ab exteriore conspicitur. Bulbus genitalis complicatus; partem eius margini interiori laminae tarsalis proximam lamella format cornea, margini ei subparallela, carinâ flexuosâ ornata, in apice bulbi in ramulos desinens duos nigros, inter se proximos et parallelos, quorum superior inferiore longior et crassior est. Medium bulbum versus lamella sequitur alia cornea, parum inaequabiliter convexa, postice (in bulbi basi) rotundata, anteriora versus et paullo foras directa, margini interiori laminae tarsalis subparallela, leviter sinuata, apice obtuso paullo versus marginem bulbi interiorem flexo, prope marginem interiorem medium dente brevi ornata, prope basim autem in latere exteriore aculeo instructa gracili nigro, qui cum paracymbio contingit et eo plus minusve occultatur. A medio fere margine exteriore lamellae huius exit lacinia modice indurata, angusta, apicem versus dilatata, anteriora versus et paullo foras directa, apice intus curvato, ante apicem in latere interiore excisa (lacinia haec embolus est). Inter embolum et lamellam supra dictam pars quaedam membranacea conspicitur, a basi intus directa, tum anteriora versus curvata, margine

[1]) Similem in modum differunt maxillae marium a maxillis feminarum in multis (an omnibus?) speciebus veteris generis *Linyphiae*.

convexo leviter indurato, apice in denticulos paucos nigros diviso, latere concavo subtilissime denticulato. In vicinia emboli bulbus membranis quibusdam aliis pellucidis ornatur, latus exterius autem lobi occupant „partem basalem" (Menge) bulbi formantes. Abdomen ca. 1·1 mm. longum, 0·4 latum.

Color idem atque feminae.

Species rara (6 vidi exempla: 4 feminas et mares duos, mutilatos), in Hungariâ et Poloniâ (in Galiciâ mediâ et prope Cracoviam) occurrens.

I. Szinnaikő, 14. VI. 89. II. Sopron. VII. Buccari (mense Aprili, 1890).

Species 6. **Centromerus silvicola** *(Kulczyński) 1887. „Tmeticus".*

Tab. III, fig. 26: epigyne.

Tmeticus silvicola Kulcz. 1887. Symb. ad faun. arachn. tirol.

I. Szinnaikő 14. VI. 89. VIII. Risnjak (in altitudine 1000—1500 m.).

Species 7. **Centromerus incilium** *(L. Koch) 1881. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 27 *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri a latere exteriore, *c:* a latere interiore visa.

Linyphia incilium L. Koch 1881. Beschr. neuer . . . bei Niesky . . . entd. Arachn.

I. Torna, Körtvélyes. II. Pécs.

Species 8. **Centromerus arcanus** *(Cambridge) 1872. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 28, *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Linyphia? arcana Cambr. 1872. On new a. rare Brit. Spid. (being a Second Supplem . . .). — Tmeticus arcanus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Tátra (Matlárháza) 24. VIII. 89. ♀.

Genus 36. **Syedra** *Simon 1884.*

Walckenaëra Thorell 1869. (ad part.). — Linyphia Cambridge 1879. (ad p.).

S. gracilis. Cephalothorax cum pedibus ruto-flavidus, ille saepe colore fusco suffusus, marginibus nigricantibus, maculâ in occipite fuscâ ornatus; pedum anteriorum — praesertim anticorum — tibiae lateribus colore nigro-fusco suffusis (tota haec pictura mutabilis est, saepe omnino evanescit). Epigyne foveâ ornatur magnâ profundâ transversâ, marginibus antico et lateralibus acutis, lateribus rotundatis; marginis antici pars maxima in foveam ingreditur et ligulam format valde latam, brevem, apice truncatam, posteriora versus paullo angustatam; partem foveae mediam posteriorem lamella (certo scapi apex) occupat crassa, angustior quam ligula commemorata, medio impressa, apice rotundata, ultra marginem posticum foveae paullulum prominens (Tab. III, fig. 29 *a.*). Palporum maris pars patellaris brevis, apice setâ longiusculâ, tenui instructa; pars tibialis patellari parum longior, insigniter crassior et latior; paracymbium magnum, ad apicem dente parvo ornatum; lamina tarsalis tuberculis evidentioribus caret; bulbus genitalis similis atque in *Centromeris* plerisque (ex. gr. *silvatico, pabulatore,* caet.) (Tab. III, fig. 29 *b.*). Longitudo ca. 1·3—1·5 mm.

Species 1. **Syedra gracilis** *(Menge) 1869. „Microneta".*

Tab. III, fig. 29 *a:* epigyne, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Microneta gracilis Menge 1869. Preuss. Spinn. — Linyphia pholcommoides Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. Szinnaikő ♀, Csorbaitó 23. VIII. 89. ♂♀.

Genus 37. **Microneta** *(Menge) 1868.*

Microneta Simon 1884. (ad part.). — Dahl 1886. — Erigone Westring 1861. (ad p.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Porrhomma Simon 1884. (ad p.).

Feminae.

1. Epigynes paries superior (ventrem versus directus) appendice ornatur, cuius apex angustus ultra marginem parietis inferioris, ligulam corneam latam formantis, in epigyne a parte inferiore aut ab inferiore posteriore adspectâ paullo prominet; a latere adspecta epigyne processum format apice sinu acuto in duas divisum partes, quarum inferior sive anterior posteriore latior est. 2

— — — nullo processu evidentiori ornatus; a latere adspecta epigyne apice late rotundata videtur. Paries epigynes inferior, postice utrimque sinu rotundato excisus, medio in ligulam productus est sursum (ventrem versus) flexam, nusquam prominentem, ubique cum partibus caeteris epigynes contingentem; pars excisa parietis inferioris utraque lamellâ repletur antice rotundatâ, postice (supra) secundum marginem parietis superioris epigynes truncatâ (epigynen a parte inferiore posticâ adspicias!) (Tab. III, fig. 32.). Cephalothorax a medio fere anteriora versus fortiter, rectis lineis angustatus, margine frontali non latiore quam oculorum area; oculi postici medii inter se spatio quam radius non insigniter maiore, a lateralibus spatiis insigniter minoribus remoti. Cephalothoracis dorsum inter oculos et declivitatem posticam insigniter impressum. Cephal. ca. 0·8—0·9 mm. lg. **3. conigera.**

2. Margo posticus parietis inferioris epigynes a parte posticâ adspectus arcum format aequabilem (Tab. III, fig. 30.). Clypeus altior quam oculorum mediorum area longa. Oculorum posticorum (magnitudine et situ insigniter variantium) intervalla diametro oculi medii subaequalia (saepe eâ maiora, fortasse nunquam minora quam $^2/_3$ diametri). Cephal. ca. 1·0—1·2 mm. lg. **1. glacialis.**

— — parietis inferioris epigynes a parte posticâ adspectus utrimque arcuato excisus, medio in processum sursum (ventrem versus) curvatum productus (Tab. III, fig. 31.). Clypeus non altior quam oculorum mediorum area longa. Oculi postici magni, medii inter se circiter radio, a lateralibus spatiis quam radius minoribus remoti (nonnunquam cum eis fere contingentes). Cephal. ca. 1·0—1·1 mm. lg. **2. viaria.**

Mares.

1. Palporum pars femoralis ubique subaequali crassitudine, non clavata. 2

— — — apicem versus paullo incrassata, paullo clavata. Apex partis patellaris supra setis pluribus longis sat crassis ornatus. Latus inferius externum partis tibialis in tuberculum rotundatum elevatum. Lamina tarsalis basi, ad angulum apicalem interiorem partis tibialis, tuberculo obtuso ornata, ad marginem exteriorem nusquam elevata. Mandibulae lateribus exterioribus apicem versus paullo divaricantibus, intus apicem versus subito fortiter angustatae, dorso ad apicem insigniter excavato. Cephal. ca. 1·1—1·2 mm. lg. **2. viaria.**

2. Lamina tarsalis processibus caret. Partes patellaris et tibialis longiores quam crassae, haec apicem versus leviter dilatata, crassitudine — basi angustatâ exceptâ — ubique aequali; pars tarsalis aeque circiter longa (perparum longior) atque pars patellaris cum tibiali. Paracymbium magnum, complicatum, postice in dentem obtusum productum, a basi deorsum fere descendens, tum subito sursum et foras et paullo retro curvatum; pars haec sursum directa latitudine ubique subaequali, apice truncata et leviter emarginata. Bulbus ad curvaturam paracymbii lamellâ ornatus parvâ corneâ subtriangulari, apice obtuso foras directo, dentem alium corneum nigricantem, profundius situm, occultanti; apex

bulbi a parte exteriore inferiore adspectus dentibus ornatus videtur duobus obscure coloratis, rectis, inter se parum inaequalibus, inferiore quam superior angustiore; re verâ dens inferior lamella est transverse posita, dens superior autem uncus brevis foras curvatus. Cephal. ca. 1·1—1·2 mm. lg. **1. glacialis.**

— — ad basim prope marginem exteriorem in cristam altam elevata longitudinalem, quae a latere adspecta triangulum format apice obtuso, margine antico declivi, postico ad perpendiculum fere directo, paullulum excavato et non breviore saltem, quam pars tibialis crassa est; latus interius cristae huius leviter convexum est, latus exterius excavatum; basis laminae tarsalis intus recte truncata. Partes patellaris et tibialis breves, haec apicem versus dilatata, dorso in longitudinem recto, latere inferiore fortiter convexo. Pars tarsalis ambabus his partibus simul sumptis multo longior. Cephal. ca. 0·8 mm. lg. **3. conigera.**

Species 1. **Microneta glacialis** *(L. Koch) 1872. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 30: epigyne a parte postica visa.

Linyphia glacialis L. Koch, 1872. Beitr. z. Kenntn. d. Arachn. Tirols. II. Abth. — Porrhomma glaciale Sim. 1884. Ar. Fr. — Erigone cacuminum Kulcz. 1882. Aran. nov. . . . Tatr.

I. Tátra (Mengusfalvi csúcs, Viszoka, Jegestórét, Lengyelnyereg).

Species 2. **Microneta viaria** *(Blackwall) 1841. „Neriene".*

Tab. III, fig. 31: epigyne a parte postica visa.

Erigone quisquiliarum Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriéne viaria Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone viaria Thor. 1871. Rem. — Microneta viaria Sim. 1884. Ar. Fr. — Dahl 1886.

I. S.-A.-Ujhely ♀, Szőllőske ♂♀, Szomotor, Tárkány, Széphalom 15. IV. 89. ♂♀, Czéke, Bánszka, Varannó, Dargó, Szinnaikő 14. VI. 89. ♀, Kassa, Torna, Körtvélyes. II. Puszta-Péth ♀. III. Kecskemét ♂♀, N.-Kőrös. IV. Herkulesfürdő 16. VII. 89. ♀, Uj-Moldova, Ruszkabánya. V. Nagy-Szeben ♂♀, Lotrioravölgy 7. IV. 89. ♂♀. VIII. Zágráb.

Species 3. **Microneta conigera** *(Cambridge) 1863. „Neriene".*

Tab. III, fig. 32: epigyne a parte postica visa.

Neriene conigera Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone excavata Kulcz. 1882. Ar. nov. . . . Tatr. — Microneta conigera Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Suliguli. V. Borszék.

Genus 38. **Micryphantes** *(C. L. Koch) 1833.*

Dahl 1886. — Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879—81. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Microneta Simon 1884. (ad p.). — Sintula Simon 1884. (ad p.).

Feminae.

1. Epigyne processu ornata corneo, insigniter ultra epigastrii marginem prominenti. 2
— posteriora versus aequabiliter adscendens, tuber format parum ultra epigastrii marginem prominens, transversum; postice tuber in sinus duos excisum est, subter (apicem tuberis versus) et in lateribus rotundatos, lamellis formâ eâdem repletos; spatium sinibus interiectum aeque circiter latum aut paullo latius quam ipsorum diameter, in longitudinem plus minusve obsolete sulcatum. 3

2. Processus epigynes ultra epigastrii marginem prominens valde profunde in ramos duos divisus, paene cylindratos, apice inter se contingentes, caeterum rimâ parum latâ distinctos, medium ventrem fere attingentes (Tab. III, fig. 33 a.). Pedum tibiae caeteris partibus non obscuriores. Longitudo ca. 1·6 mm.[1] **1. corniger.**
— — a basi latâ apicem versus insigniter angustatus, superficie superiore (ventrem versus directâ) in lamellam subrotundam dilatatâ. Pedes pallide colorati, tibiis anterioribus infuscatis. Long. ca. 2·5 mm. **2. retroversus.**

3. Pedes pallide flavidi aut rufo-flavidi, trochanteribus (et tibiis) summo apice plus minusve nigricantibus; palporum partes femoralis et patellaris pallide flavidae, tibialis et tarsalis nigrae aut colore nigro suffusae. Long. ca. 1·5—2 mm. **3. rurestris.**
Praecedenti simillimus, colore solum ab eo differre videtur: pedes colore fusco plus minusve suffusi sunt, femoribus, praesertim anterioribus, saepe vittis longitudinalibus obscurius fuscis ornatis; palpi plerumque toti fusci, aut apicem versus nigro-fusci, nonnunquam pars patellaris flavida. Long. ca. 1·8—2 mm. **4. fuscipalpis.**

Mares.

1. Lamina tarsalis in processum maximum producta, retro directum, apicem partis patellaris saltem attingentem. 2
— — supra, prope latus exterius, in tuber elevata sursum directum, pariete interiore leviter convexo, exteriore excavato, apice subacuto, ita ut dorsum a latere adspectum in angulum fractum videatur recto maiorem, crure basali breviore quam apicali. In palpo desuper adspecto angulus basalis interior laminae tarsalis dentem brevem format. Pars patellaris palporum aeque circiter longa ac lata, lateribus parallelis; pars tibialis eâ paullo longior, apicem versus modice dilatata, fortius incrassata, supra subrecta, infra convexa, margine apicali superiore exteriore paullo producto et leviter ita exciso, ut dentes formet duos breves latos. Paracymbium magnum, apicem versus sursum curvatum; ad marginem anticum partis huius sursum directae bulbus lamellâ ornatur, basi latâ, apicem versus angustatâ, anteriora versus directâ, bulbo adpressâ. 3

2. Processus laminae tarsalis apicem versus arcuato-deflexus, non procul ab apice in latere exteriore dente acuto ornatus. Long. 3 mm. (Sec. Cel. E. Simonem). **2. retroversus.**
— — — rectus, elongato-conicus, apice setis duabus longis crassis lanceolatis, foras et deorsum flexis, prope apicem autem setâ simili minore, foras flexa, ornatus; pars patellaris brevis, setâ longâ gracili ornata; partis tibialis latus interius — una cum dente basali — multo longius quam pars patellaris, aeque circiter longum atque lamina tarsalis (processu supra commemorato excepto), latus exterius interiore insigniter brevius, ei enim et bulbo genitali paracymbium interiectum est ferri equini instar curvatum, apicibus sursum directis acutis; dorsum partis tibialis basi dente ornatur brevi, retro directo, medio in dentem crassum acutum, pallide coloratum, elevatum est, apice autem dente gracili nigro, cum laminâ tarsali fere contingenti, instructum; in dente basali pars haec setis ornatur crassis longis duabus et unâ longâ gracili, inter dentem basalem et medium autem setâ multo breviore, crassâ, erectâ (Tab. III, fig. 33 b, c.). Long. ca. 1·6—1·9 mm. **1. corniger.**

3. Apex lamellae supra dictae (bulbi partem formantis) paullo intus curvatus, in denticulos ca. 4 acutos excisus (denticulus internus, caeteris paullo maior, sub lente acutâ non difficile in bulbo a latere exteriore et paullo desuper adspecto conspicitur, non procul ab apice bulbi subter situs, paullo prominens (Tab. III, fig. 35.). Long. ca. 2 mm. **4. fuscipalpis.**
— — — — inaequabiliter truncatus (Tab. III, fig. 34.). Long. ca. 1·5—2 mm. **3. rurestris.**

Species 1. **Micryphantes corniger** (*Blackwall*) *1856. „Neriene“.*

Tab. III, fig. 33 *a:* epigyne, *b:* palpi dextri maris partes patellaris tibialis tarsalis a latere exteriore visae, *c:* palpi eiusdem partes patellaris et tibialis a latere interiore visae (*pf:* pars femoralis, *pt:* pars tarsalis).

Neriene cornigera Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Erigone cornigera Thor. 1873. Rem. — Sintula corniger Sim. 1884. Ar. Fr. (pro parte: ♂, non ♀).

VIII. Velebit ♂♀.

---

[1]) Cum mare *Micryph. cornigeri* haec femina in montibus Velebit lecta est, eam igitur veram feminam *M. cornigeri* esse censeo. Femina *„Sintulae cornigeri“* a Cel. E. Simone descripta alia est species. Contra opinionem nostam afferri quidem potest, quod minor sit haec femina *M. cornigeri* nostra quam mas; attamen etiam in nonnullis aliis speciebus affinibus mares staturâ feminas superant, ex. gr. in *Centromero arcano, (C. incilium), Microneta viaria.*

Species 2. **Micryphantes retroversus** *(Cambridge) 1875. „Erigone".*

Erigone retroversa Cambr. 1875. On. s. new Sp. of Erigone. P. I. (Proceed. Zool. Soc.). — Microneta retroversa Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj. III. Hadház (15. VII. 89. ?, iuv.). VII. Buccari.

Species 3. **Micryphantes rurestris** *C. L. Koch 1836. Arachn.*

Tab. III, fig. 34: maris pars tarsalis palpi dextri a latere exteriore inferiore visa.

Erigone rurestris Westr. 1861. Ar. Suec. — ? Nericne flavipes Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Erigone fuscipalpis Thor. 1871. Rem. (pro parte?) — ? Neriene fuscipalpis Cambr. 1879. Sp. Dors. (pro parte). — Microneta rurestris Sim. 1884. Ar. Fr.

In Hungariâ et in Poloniâ occurrunt duae Micryphantarum species, inter se simillimae, quarum alteram (palpis feminae basi pallidis, apice nigricantibus) M. rurestrem C. L. Kochii, alteram (palpis totis obscure coloratis) M. fuscipalpem esse censemus. Synonyma harum specierum paullo incerta sunt. Descriptiones Erigonae rurestris Westr., Nerienae flavipedis Blackw., Micronetae rurestris E. Sim. nobis melius in Micr. rurestrem quam in M. fuscipalpem nostrum quadrare videntur. Erigone fuscipalpis Thor., — palpis feminae *plerumque* basi flavidis — fortasse ambas species continet. Neriene gracilis Blackw., cuius pedes „pale reddish-brown" (Nerienae flavipedis: „dull-yellowish") palpi „dark-greenish" describuntur, fortasse eadem est species atque M. fuscipalpis noster. — Neriene fuscipalpis O. P. Cambr. (Sp. Dors.) certo, pro parte saltem, nostro M. fuscipalpi respondet; Rev. O. P. Cambridge enim anno 1883. exempla polonica huius speciei Kulczynskio nomine „Neriene fuscipalpis C. Koch" notavit, Micr. rurestrem autem a typicâ „Ner. fuscipalpi" palporum et mandibularum formâ paullulum differre declaravit. Pedes „Nerienae fuscipalpis" in The Spiders of Dorset colore — inter flavidum et rufo-fuscum — variare dicuntur: hanc ob rem eam etiam inter synonyma Micr. rurestris recipimus.

I. S.-A.-Ujhely ♂♀, Tolcsva, Tokaj, Szerencs 21. III. 89. ♂♀, Szőllőske, B.-Szerdahely 20. VI. ♂♀. Széphalom 8. VI. ♂♀, Velejte ♀, Lelesz ♀, Varannó, Homonna, Sztropkó, M.-Laborcz, Szinnaikő 14. VI. 89. ♀, Beregszász, Győröcske ♀, Pietroz, Eperjes ♀, Csíz ♂, Nagy-Rőcze ♀, Felfalu ♀, Tátrafüred ♂, Csorbaitó. II. Almádi ♂♀, Várpalota 18. VII. ♀, Sopron, Kám ♀, Pécs. III. Budapest, Farkasd, Kecskemét 11. VII. ♂♀, Kalocsa ♀, Rakamaz ♀, Vencsellő. IV. Baziás ♀, Drenkova ♀, Duplaj ♀, Ó-Palánka ♀, Deliblat ♀, Marillavölgy ♀, Ruszkabánya ♀. V. Tasnád, Biharfüred 22. VIII. ♀, Szamosujvár ♀. VII. Buccari ♂, Crkvenica ♀?, Zeng ♀. VIII. Francikovac 5. VII. ♂, Diakovár ♀, Plitvica ♂♀.

Species 4. **Micryphantes fuscipalpis** *C. L. Koch? 1836. Arachn.*

Tab. III, fig. 35: maris pars tarsalis palpi dextri a latere exteriore inferiore visa.

? Neriene gracilis Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Neriene fuscipalpis Cambr. 1879. Sp. Dors. (pro parte?).

I. S.-A.-Ujhely (Sátorhegy, mense Martio ♀), Tokaj 20. VII. 89. ♂♀, Szerencs 20. III. 89. ♀, Megyaszó, B.-Szerdahely ♂♀, Győröcske ♀. II. Almádi ♀, Sopron ♂, Fertő partja ♀. III. Kecskemét 11. VII. ♀, Farkasd, Gödöllő. IV. Petnik ♀. V. Ér-Mihályfalva ♀, Kolozsvár ♀. VIII. Diakovár ♀.

Genus 39. **Sintula** *(Simon) 1884. (pro parte).*

Linyphia Cambridge 1879. (ad part.).

S. aërius. Partium genitalium formâ similis *Micryphantae rurestri* et *fuscipalpo*. — *Femina:* epigyne a latere visa processum format situ variantem, deorsum et modo retro modo anteriora versus directum, rarius ventri adpressum, apice rotundatum aut postice apiculo minuto ornatum, evidenter — quamquam non multo — longiorem quam crassum (in *Micryphantis* commemoratis epigyne ventri adpressa est — an semper? — et processum non longiorem quam latum format). Apex epigynes similis atque in *Micryphantis* supra dictis (Tab. III, fig. 36 a.). Pedes et palpi flavidi,

colore fusco plus minusve suffusi, horum partes tibialis et tarsalis non aut parum obscuriores quam pars femoralis. Long. 1·3—1·6 mm. — Mas: Palporum partes patellaris et tibialis breves, illa apice setâ gracili sat longâ ornata, huius margo apicalis exterior superior paullulum productus et levissime excisus; laminae tarsalis angulus basalis interior tuberculum manifestum non format; prope a latere exteriore lamina in tuber elevata est pariete interiore modice convexo, exteriore excavato, ita ut dorsum suum a parte exteriore adspectum in angulum latum fractum videatur, apice paullo ante mediam laminam sitô; bulbi genitalis lamella, lamellae characteristicae *Lephthyphantarum* respondens, ad marginem paracymbii non dilatata, apice oblique acuminato, angulo exteriore producto (Tab. III, fig. 36 b.). Long. 1·3—1·5 mm.

Species 1. **Sintula aërius** *(Cambridge) 1875. „Linyphia".*

Tab. III, fig. 36. *a:* epigyne a parte inferiore postica visa, *b:* maris pars tarsalis palpi dextri.

Linyphia aëria Cambr. 1875. Not. a. Descr. of s. Brit. Spid. (Ann. & Mag. Nat. Hist.). — Cambr. 1879. Sp. Dors. — ? Sintula aërius Sim. 1884. Ar. Fr.[1])

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj ♀, B.-Szerdahely ♂♀, Lelesz ♂, Sztropkó ♀. — II. Sopron. ♂. — V. Lotriora völgy ♀.

Genus 40. **Erigone** *Audouin 1825—27.*

Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Simon 1884. — Dahl 1886. — Neriene Blackw. 1864. (ad p.).

Feminae.

1. Epigynes pars, ultra epigastrii marginem prominens, dimidio sterno latior, late inaequabiliter rotundata, postice in medio modo leviter excisa, modo paullulum producta. 2
— — — — — — dimidio sterno angustior. Epigynes sculptura difficilius perspicitur et paullo mutabilis est: pars epigynes media, antice et in lateribus sulco ferri equini instar curvato — in aliis exemplis bene definito, in aliis valde indistincto — limitata, tuberculum format humile inaequale, pilis pro parte occultum, in lineâ mediâ anterius carinâ humili ornatum (postice tuberculum hoc ultra epigastrii marginem prominens, materiâ quadam flavidâ saepe tectum est). (Tab. III, fig. 40.). Long. 1·4—1·26 mm. (Cephal. 0·75—1.2 mm. lg.!). **4. vagans.**
2. Epigyne ad marginem posticum sulco transverso profundo ornata, antice margine non elevato quidem, bene tamen definito, in lateribus et postice autem marginibus epigynes ipsius limitato; margo epigynes posticus medius in tuberculum humile, plus minusve distinctum, elevatus, non aut perparum altior quam pars epigynes ante sulcum sita, quae — ut in speciebus sequentibus — transverse plicata est (Tab. III, fig. 37 a.). Long. ca. 2·3—2·5 mm. **1. tirolensis.**
— — — — sulco nullo ornata, rarius (in eis exemplis *Erigones dentipalpis*, quorum margo posticus epigynes solito fortius deflexus est) sulco transverso — minus quam in priore, praesertim latera versus, definito — ornata, margo posticus medius epigynes tum insigniter altior est quam epigynes pars ante sulcum sita. 3
3. Margo posticus epigynes, a parte inferiore anteriore adspectus, aequabiliter rotundatus aut leviter angulato rotundatus, plus minusve — praesertim medium versus — deflexus (Tab. III. fig. 39.). Long ca. 1·8—2·5 mm. **3. dentipalpis.**
— — — ut supra dicitur, adspectus, late, parum profunde excisus, non evidenter deflexus, medio in granulum nitidum, plus minusve distinctum, elevatus (Tab. III, fig. 38.). Long. ca. 1·8—2·3 mm. **2. atra.**

[1]) Partium genitalium descriptio et figurae in *Les Arachnides de France* non bene quadrant in exempla *„Linyphiae aëriae"* a Rev. O. P. Cambridgio ipso determinata, quae in collectionibus Cel. T. Thorellii et Kulczynskii conservantur.

Mares.

1. Processus partis patellaris deorsum et *anteriora* versus directus; latus partis huius interius denticulis 2 aut 3 ornatum; pars tibialis apice non aut vix latior quam pars patellaris, eâ modo multo modo parum brevior, apice oblique truncata, subter in latere exteriore longius quam supra producta et saepe non procul ab apice denticulo minuto ornata, supra versus latus exterius dente brevissimo lato truncato porrecto et prope eum interius denticulo parvo acuto, ab apice longius remoto, ornata. Pedum anteriorum femora subter versus latus exterius serie denticulorum ornata. Long. ca. 1·6—2·5 mm. **4. vagans.**
— — — deorsum aut paullulum retro directus; latus interius partis eiusdem inerme, apex plerumque multo latior quam apex partis patellaris; pedum anteriorum femora subter inermia aut granulis minimis instructa. Apex partis tibialis palporum processibus quatuor ornatur, quorum 3 in palpo a latere exteriore viso conspiciuntur. 2
2. Processus tibialis supernus, latere exteriore excavato, interiore convexo, cristam format sursum fere spectantem 3
— — — subter excavatus, supra convexus, lamellam format sublibratam; processus externus dens est compressus latus brevis, multo brevior quam processus supernus et infernus, ab eis spatiis subaequalibus distat, ab illo sinu multo profundiore quam ab hoc distinctus. Bulbi genitalis pars caeteris partibus magis prominens prope apicem in latere interiore iacet, lamellam format crassam, oblique positam (magis in transversum quam in longitudinem directam), apice (deorsum prominenti) rotundato, antice excavatam. Long. ca. 2—2·3 mm. **2. atra.**
3. Processus tibialis externus foras fere (et paullo anteriora versus) directus, sinu lato a processu superno distinctus, crassus, obtusus; pars tibialis cum eo duplo fere latior quam apec partis patellaris. Processus supernus a parte exteriore anticâ adspectus margine superiore, anteriora versus adscendenti, longiore quam margo apicalis descendens et rotundatus; processus hic integer est. Processus infernus subter denticulo acuto ornatus. Bulbus genitalis paullo pone medium, prope lineam mediam (paullo versus latus exterius) dente ornatus deorsum et anteriora versus directo, longiore quam lato, compresso, insigniter prominenti. Long. ca. 2—2·3 mm. **3. dentipalpis.**
— — — anteriora versus directus, gracilis, processui superno parallelus, eo paullo brevior, cum eo lamellâ profundius sitâ ita coniunctus, ut pars patellaris desuper adspecta in apicis parte exteriore processu uno ornata videatur, apicem versus leviter angustato, apice leviter exciso, angulis acutis, interiore longius prominenti. Pars haec apice parum latior est quam apex partis patellaris. Processus supernus prope apicem fissurâ angustâ, fere transversâ, e margine suo exteriore exeunti, ornatus (fissura haec difficilius conspicitur); margo superior (a parte exteriore visus) adscendens, non longior quam margo apicalis, qui rectus et paullulum excavatus est, cum margine superiore et inferiore angulos non rotundatos format, prope medium (ad fissuram commemoratam) dente obtuso plus minusve prominenti ornatur. Processus infernus subter non dentatus (Tab. III, fig. 37 b, c.). Long. ca. 2·5—2·8 mm. **1. tirolensis.**

Species 1. **Erigone tirolensis** *L. Koch 1872.*

Tab. III, fig. 37 *a:* epigyne, *b:* maris apex partis tibialis palpi sinistri a latere exteriore (*b:* bulbus genitalis, *l:* lamina tarsalis, *p*: paracymbium), *c:* eadem desuper visa.

Erigone tirolensis L. Koch 1872. Beitr. z. Kenntn. d. Arachn. Tirols. II. — Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Tátra (Tengerszem csúcs, Tátra csúcs, Jégvölgyi csúcs, Lomnici csúcs, Öt tó).

Species 2. **Erigone atra** *Blackwall 1833.*

Tab. III, fig. 38: epigyne.

Erigone vagabunda Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriene longipalpis Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. (ad part.). — Erigone atra Thor. 1871—73. Rem. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Dahl. 1886. — Neriene atra Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. S.-A.-Ujhely 24. V. ♀, Tokaj, Szerencs 20. III. ♂♀, Szőllőske ♂♀, Széphalom 8. VI. ♂, Varannó, Szaláncz, Bártfa, Tátra (Kriván, Liliove, Tihavölgy). II. Felcsúth ♂, Puszta-Péth ♀, Fertőpart 23. IV. ♀. III. Rákosfalva 23. IV. ♂. V. Görgény ♀.

Species 3. **Erigone dentipalpis** *(Wider) 1834, „Theridium".*

Tab. III, fig. 39: epigyne.

Erigone dentipalpis Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871—73. Rem. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Dahl. 1886. — Neriene longipalpis Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. (ad part.). — Neriene dentipalpis Cambr. 1879. Sp. Dors.

I. S.-A.-Ujhely 14. V. ♂, Tokaj, Szőllőske ♂♀, B.-Szögh, Varannó, Mezőlaborcz, Győröcske ♀, Pop-Iván csúcs ♀, Szaláncz, Bártfa, Gáboltó, Lőcse, Tátra (Javorina, Kriván), Szliács. — II. Kám ♂♀, Sopron ♂♀, Fertőpart ♂♀. — III. Budapest ♂, Kecskemét ♂♂, Kalocsa ♂♀, Szeged, Debreczen, Tiszalök ♀, Rakamaz ♀. — IV. Rékás, Zlaticza. — V. Tasnád, Kolozsvár, Alsó-Zsuk, Székely-Keresztur 24. VI. ♀, Görgény-Szt.-Imre ♀. — VII. Buccari ♂♀, Crkvenica ♂, Zeng ♀. — VIII. Francikovac 5. VII. ♂, Plitvica ♀, Diakovár ♀.

Species 4. **Erigone vagans** *Audouin 1827.*

Tab. III, fig. 40: epigyne.

Erigone vagans Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Csorbaitó (♂ unicus!). — II. Almádi ♂♀, Fertőpart ♀, Felcsuth ♂. — III. Kecskemét 11. VII. ♂♀, Rakamaz. — IV. Berzászka ♂♀, Plavisevicza ♂♀. — VI. Fiume 20. — VII. ♂. VII. Orehovicza ♀, Crkvenica, Buccari ♀. — VIII. Plitvicza ♂.

Genus 41. **Trachygnatha** *novum genus Kulczyński.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad part.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Gongylidium Sim. 1884. (ad p.).

T. dentata. *Feminae* cephalothorax — exceptâ parte cephalicâ anteriore, quae sublaevis est — reticulatus, sternum subtilius reticulatum; dorsum cephalothoracis, a latere adspectum, a margine postico usque ad oculos modice et paene aequabiliter convexum, pars cephalica media evidenter, quamquam non multo, altior quam locus, cui oculi medii postici innati sunt. Epigynes pars media postica, minus quam partes caeterae indurata, leviter elevata, antice impressione latâ limitata, margine postico plus minusve exciso, in utroque latere foveolâ rotundatâ ornata (Tab. III, fig. 41.). *Maris* cephalothorax similis atque feminae, foveis lateralibus in parte cephalicâ caret; dorsum partis cephalicae fortius et paullo inaequabiliter convexum, pilis sat multis procumbentibus ornatum. Pars tibialis palporum duplo circiter brevior quam pars patellaris, margine apicali superiore exteriore in processum producto aeque circiter atque pars ipsa longum, paene porrectum, apicem versus aequabiliter angustatum, apice incurvatum, in margine interiore prope basim dente nigro acuto ornatum. Bulbus genitalis a latere exteriore adspectus postice et subter secundum totam longitudinem limbo circumdatur e lamellâ formato parum induratâ, pellucidâ, ultra apicem laminae tarsalis paullo producto; embolus longissimus, parti basali interiori bulbi innatus, sursum sub laminam tarsalem et in latus bulbi exterius curvatus, ubi lamellâ commemoratâ occultus apicem bulbi attingit (in palpo non distorto). — Femina 2—2·5, mas 2—3 mm. longus.

Species 1. **Trachygnatha dentata** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. III, fig. 41: epigyne.

Erigone dentata Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Neriene dentata Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Gongylidium dentatum Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, B.-Szerdahely 20. VI. ♂, Szőllőske, Páczin, Bacska 4. VIII. ♂, Lelesz, Szinna. — II. Almádi ♀. — III. Kalocsa ♂♀, Vencsellő ♀. — V. Brassó ♂. — VIII. Diakovár.

Genus 42. **Gongylidium** *Menge 1867.*

Simon 1884. (ad part.). — Dahl 1886. — Erigone Westring 1861. (ad p.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1879. (ad p.).

G. rufipes. Cephalothorax supra subterque paene laevis, nitidus; pars cephalica non elevata, dorso leviter arcuato, puncta summa oculorum mediorum posticorum parum demissius sita quam dorsi pars summa. Mandibulae in lateris antici exterioris parte superiore plerumque granulis parvis ornatae. Epigyne ad marginem posticum tuberculis ornata duobus humilibus nitidis, pro parte nigris, obliquis, anteriora versus subito a se discedentibus, spatium non multo angustius occupantibus quam sunt coxae IV. longae; antice et in lateribus tubercula sulco circumdantur modice definito; areae pars tuberculis interiecta, posteriora versus subito angustata, in longitudinem plus minus impressa, marginibus leviter elevatis (Tab. III, fig. 42 a.). Pars tibialis palporum maris brevior quam pars patellaris, basi eâ multo tenuior, apicem versus fortiter dilatata, apice duplo circiter latior quam basi, et processibus tribus ornata, quorum duo interiores, alter subter, alter supra situs, lamelliformes, lati, superior inferiore et longior et magis acutus; tertius autem processus, in latere exteriore inferiore situs, crassus, incurvatus, pallide coloratus, prope apicem supra lamellâ nigrâ ornatur oblique positâ, latiore quam longâ; lamellae huius margo apicalis rectus est, interior (sive posterior) rotundatus, anterior cum apicali angulum acutum format (Tab. III, fig. 42 b.); pars tarsalis ca. $^1/_4$ longior quam patellaris. — Femina ca. 3—$3^3/_4$, mas $2^1/_2$—3 mm. lg.

Species 1. **Gongylidium rufipes** *(Linné) 1758. „Aranea".*

Tab. III, fig. 42, *a:* epigyne, *b:* maris partes patellaris et tibialis palpi dextri a latere exteriore et paullo a parte inferiore visae.

Erigone rufipes Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Neriene munda Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Neriene rufipes Cambr. 1879. Sp. Dors. — Gongylidium rufipes Sim. 1884. Ar. Fr. — Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj ♂♀, Varannó, Sztropkó, Kassa, Bártfa, Zboró. — II. Pozsony ♀, Zákány. — III. Nyiregyházi sóstó. IV. Baziás, Temesvár ♀ et 20. IX. duo ♂ iuv. abdomine picto.

Genus 43. **Neriene** *(Blackwall) 1833.*

Blackwall 1864. (ad part.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Dahl 1886. — Erigone Westring 1861. (ad p.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — O. Herm. 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Gongylidium Simon 1884. (ad p.).

Feminae.

Nerienarum feminae difficile inter se distinguuntur, imo nonnullae certo distingui non possunt.

1. Lineae, quibus epigyne ornatur, parallelae aut anteriora versus inter se appropinquantes quidem, antice tamen maculis translucentibus auctae, cum quibus in vittas subparallelas confluunt. Dorsum cephalothoracis inter declivitatem posticam et oculos aut parum aut modice convexum, paene aequabiliter arcuatum, non angulatum. 2
   — — — — anteriora versus inter se appropinquant. Dorsum cephalothoracis plus minusve inaequabiliter convexum, pone oculos leviter angulatum. 3
2. Area oculorum mediorum postice circiter diametro oculi latior quam antice, subplana. Cephalothorax plerumque fuscus. Long. ca. $2^1/_2$—3 mm. **5. agrestis.**
   — — — postice circiter radio oculi tantum latior quam antice, evidenter convexa. Cephalothorax plerumque rufus. Long. ca. 2·3—3 mm. (Tab. IV, fig. 4.). **4. fusca.**
3. Cephalothorax ca. 1·3—1·4 mm. lg. Dorsum partis cephalicae pone oculos leviter angulatum. Cephalothorax fuscus aut nigro-fuscus. **3. gibbifera.**
   — ca. 1·0—1·2 mm. lg. 4

4. Dorsum partis cephalicae pone oculus leviter angulatum. Cephalothorax rufus aut fuscus. **1. apicata.**
— — — pone oculos leviter convexum, non angulatum. Cephalothorax plerumque rufus. (Non semper haec femina a priore certo distinguitur). (Tab. IV, fig. 2 a.). **2. retusa.**

Mares.

1. Pars cephalica utrimque foveâ ornatur profundâ, ab oculis longe remotâ. 2
Foveae in partis cephalicae lateribus nullae. Palporum pars tibialis a latere interiore et desuper adspecta in margine apicali exteriore dentibus duobus plus minusve divaricantibus ornatur. 4
2. Dorsum partis cephalicae pone oculos tuberculo ornatum dimidiam oculorum aream latitudine non aequanti, aeque circiter alto atque crasso, apice late rotundato et pilis sublibratis, latera versus directis ornato. Margo apicalis superior partis tibialis palporum intus in lamellam late rotundatam dilatatus (quod difficilius conspicitur), in angulo exteriore aculeo ornatus nigro, deorsum et anteriora versus directo, quam pars ipsa breviore; latus exterius superius partis eiusdem angulato elevatum et spinâ ornatum corneâ, aculeo commemorato paene parallelâ, leviter deorsum curvatâ, crassitudine ubique subaequali, apice obtusâ (Tab. IV, fig. 1.). Long. ca. 1·8—2 mm. **1. apicata.**
Pars cephalica pone oculos eminentiâ ornatur latâ, parum altâ, non multo angustiore quam oculorum area, in fronte et in lateribus sat praeruptâ, postice sensim in dorsi partes non elevatas abeunti, pilis insignibus carenti. 3
3. Latus exterius superius partis tibialis elevatum cristam format compressam; a latere exteriore et inferiore adspecta pars tibialis supra in angulum elevata videtur acutum, crure apicali quam basale paullo magis praerupto et aculeo instructo deorsum et anteriora versus directo, ab anguli apice longe remoto (Tab. IV, fig. 2 b.); aculeus hic in palpo desuper adspecto anteriora versus et paullo *foras* directus videtur. Pars patellaris subter exterius ad apicem in tuberculum parvum elevata. Long. ca. 2 mm. **2. retusa.**
— — — — — cristam compressam non format; a latere exteriore *et inferiore* adspecta pars tibialis supra in angulum elevata videtur recto non minorem, crure apicali in ipso fere apice aculeo instructo anteriora versus et deorsum directo (Tab. IV, fig. 3.), qui aculeus in palpo desuper adspecto anteriora versus et *intus* directus videtur. Pars patellaris subter tuberculo nullo instructa. Long. ca. 2·4 mm. (Sec. exempla Polonica). **3. gibbifera.**[1])
4. Area oculorum mediorum plana; clypeus sub oculis mediis insigniter humilior quam area haec longa. Cephalothorax plerumque fuscus aut nigro-fuscus. Long. ca. 1·8—2 mm. **5. agrestis.**
— — — in transversum et in longitudinem convexa; clypeus sub oculis his perparum humilior quam area haec longa. Cephalothorax plerumque rufus. Differt haec species a priore etiam oculis anticis mediis maioribus, cephalothorace pone oculos fortius et magis inaequabiliter convexo, processibus partis tibialis palporum minus prominentibus. Long. ca. 1·7—2 mm. **4. fusca.**

Species 1. **Neriene apicata** *Blackwall 1850.*

Tab. IV, fig. 1: maris pars tibialis palpi dextri a latere exteriore visa.

Erigone gibbicollis Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriene apicata Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Dahl. 1886. — Erigone apicata Thor. 1871. Rem. — O. Herm. 1879. — Gongylidium apicatum Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely ♂♀, Tokaj 26. III. 84. ♀, Szomotor, Mezőlaborcz 14. IV. 88. ♀, 26. X. ♀, Tátra (mengusfalvi völgy), Kuzi (vadász kastély). — II. Almádi ♀, Zákány 25. V. 84. ♀. — III. Kecskemét ♂♂, Vencsellő ♀. — IV. Ruszkabánya. — V. Torda.

---

[1]) Parum ab hac specie differre videtur *Gongylidium cantalicum* E. Sim.

Species 2. **Neriene retusa** *(Westring) 1851. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 2, *a:* epigyne, humefacta, *b*: maris pars tibialis palpi dextri a latere exteriore inferiore visa.

Erigone retusa Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Neriene retusa Cambr. 1879. Sp. Dors. — Dahl. 1886. — Gongylidium fuscum Sim. 1884. Ar. Fr.[1])

I. Tolcsva, Véke? 4. V. 89. ♀, Varannó, Királyháza, Szalánc 5. VII. 86. ♀, Körtvélyes. — II. ? Almádi ♀. — IV. Ruszkabánya. — V. Szathmár, Torda ♀. — VIII. Mrzla vodica 18. VIII. ♂, Eszék ♀.

Species 3. **Neriene gibbifera** *(Kulczyński) 1882. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 3: maris pars tibialis palpi dextri a latere exteriore inferiore visa.

Erigone gibbifera Kulcz. 1882. Ar. nov. . . . Tatr.

I. Bártfa (?, ♀ sola).

Species 4. **Neriene fusca** *Blackwall 1834.*

Tab. IV, fig. 4: epigyne humefacta.

Erigone simplex West. 1861. Ar. Suec. — Neriene fusca Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Neriene agrestis Id. ibid. (fig., non descriptio). — Cambr. 1879. Sp. Dors. (pag. 115). — Neriene fusca Id. ibid. 1881. (pag. 486, 574). — Erigone fusca Thor. 1871. Rem. — Gongylidium retusum Sim. 1884. Ar. Fr.[1])

I. S.-A.-Ujhely, Varannó. — II. Almádi ♀.

Species 5. **Neriene agrestis** *Blackwall 1853.*

Neriene agrestis Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. (descript., neque figura). — Cambr. 1881. Sp. Dors. (pag. 486). — Gongylidium agreste Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Mezőlaborcz, Bártfa, Gáboltó, Tátra (Javorina), Tarnócz, Kis-Kriván. — IV. Szászkabánya ♀, Baziás, Orsova, Herkulesfürdő 18. VII. 89. ♀, Drenkova ♂, Ruszkabánya. — VIII. Mrzla vodica 18. VIII. ♂.

Genus 44. **Trematocephalus** *Dahl 1886.*

Erigone Thorell 1870—73. (ad part.). — Gongylidium Simon 1884. (ad p.).

T. cristatus. *Femina:* Cephalothorax laete flavido-rufus, area oculorum nigricanti, in postremâ parte cephalicâ maculâ ornatus nigricanti, triangulari, cum oculorum areâ lineis tribus coniunctâ, laevis, nitidus, dorso partis cephalicae sublibrato, paullulum in longitudinem convexo; sternum laeve nitidum, laete rufo-flavidum, marginibus nigricantibus. Oculorum series posterior leviter recurvata, anterior procurva. Epigyne sulcis ornata duobus, e margine postico exeuntibus, inter se subparallelis et circiter longitudine coxarum III. distantibus, antice in foveolas abeuntibus profundas, transverse positas, inter se septo angusto disiunctas; pars sulcis et foveolis circumscripta pallide colorata, subplana, duplo saltem latior quam longa (Tab. IV, fig. 5.). In epigyne humefactâ sulci, nigricantes, facile conspiciuntur. *Maris* pars cephalica antice processu ornatur brevi erecto, oculos posticos medios (in eius lateribus ad apicem sitos) gerenti; postice pars cephalica in aream elevata est oblongam, postice in partes non elevatas sensim abeuntem, anterius fortius elevatam et optime

[1]) *Neriene (Gongylidium) fusca* et *N. retusa* commutatae sunt a Cel. E. Simone in Les Arachn. de France.

definitam, subplanam; apex huius areae anticus in processum abit quam area ipsa multo angustiorem, porrectum, cuius apex processui antico incumbit; pars cephalica itaque a latere adspecta perforata videtur. Color cephalothoracis similis atque in feminâ, lineae tamen fuscae laterales e maculâ occipitali exeuntes, margines areae elevatae sequuntur, itaque incurvatae sunt, aream oculorum non attingunt. Palporum pars patellaris ca. sescuplo longior quam lata, tibialis eâ brevior, margine apicali exteriore in angulum latum obtusum, margine superiore in processum quam pars ipsa breviorem, subtriangularem, leviter foras curvatum, producto. Long. feminae ca. 2—$2^1/_2$, maris ca. 2—$2^1/_4$ mm.

Species 1. **Trematocephalus cristatus** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. IV, fig. 5: epigyne.

Dahl. 1886. — Erigone perforata Thor. 1871. Rem. — Gongylidium cristatum Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Sztropkó, Pop-Iván csúcs.

Genus 45. **Scotinotylus** *Simon 1884.*

S. aries. *Femina:* Dorsum cephalothoracis inter declivitatem posticam et oculos posterius paullulum excavatum, anterius leviter convexum, in universum sublibratum, oculorum mediorum posticorum punctis summis parum demissius quam pars dorsi summa sitis. Epigyne subplana, sulcis duobus ornata foras curvatis, anteriora versus parum, posteriora versus subito a se discedentibus, spatium includentibus corneum nitidum, fere ⊥-forme, margine postico subrecto aut leviter excavato. *Maris* pars cephalica posterius sublibrata, anterius insigniter arcuato adscendens, inter oculos medios appendicibus duabus deplanatis, brevibus (quae desuper adspectae ultra oculos medios anticos parum prominent, clypei marginem non attingere videntur), basi inter se proximis, paullo divaricantibus, instructa, in lateribus pone oculos neque foveâ neque sulco ullo ornata. Palporum pars patellaris circiter 3-plo longior quam lata, patellaris brevissima, supra ad basim pilo erecto, leviter recurvato, crasso, obtuso, quam pars patellaris circiter duplo breviore, ornata, margine apicali superiore in processum producto sursum fere directum, quam pilus commemoratus non duplo breviorem, paene triangularem, apice subito anteriora versus infracto et dentem acutum formanti; lamina tarsalis desuper adspecta apicem versus insigniter dilatata, apice oblique truncata, angulis rotundatis, a latere adspecta basi in angulum elevata acutum, cum apice processus tibialis contingentem. Femina ca. 1·6—1·9 mm. longa, cephalothorax maris 0·75 mm. lg.[1])

Species 1. **Scotinotylus aries** *(Kulczyński) 1882. „Erigone".*

Erigone aries Kulcz. 1882. Ar. nov. . . . Tatr.

I. Tátra (hlinszkai és szmrecsinai völgy, Kriván).

Genus 46. **Metopobactrus** *Simon 1884.*

M. Rayi. *Mas.* Cephalothorax et sternum laevia, nitida. Pars cephalica, quae supra dorsum cephalothoracis elevata est, conum format pariete postico leviter convexo, antico et lateralibus rectis, apice supra oculos posticos medios prominenti et pilis tribus crassis, acutis, anteriora versus directis, deorsum curvatis ornato. Clypeus paullo proiectus, paene rectus. Oculorum series anterior leviter procurva, oculi inter se approximati; series posterior procurva. Palporum pars patellaris non sescuplo

[1]) *Scotinotylus aries* certo simillimus est *Sc. antennato* (Cambr.), probabiliter tamen ab eo distinctus: *Scotinotyli antennati* appendices in area oculorum mediorum sitae multo longiores, setiformes, acutae esse — neque ut in *Sc. ariete* deplanatae, apice obtusae — videntur, pars cephalica pone oculos laterales sulcis longitudinalibus ornata describitur, processus tibialis apice arcuato-curvatus neque in angulum fractus.

longior quam lata, lateribus paene parallelis; pars tibialis — processibus inclusis — aeque circiter longa atque patellaris, eà parum latior, margine apicali processibus ornato duobus brevibus, inter se sinu rotundato distinctis: processus interior — medium fere marginem apicalem superiorem occupans — maior, desuper visus margine antico fere transverse posito, anteriora versus et foras directus, carinatus; processus alter in angulo exteriore situs, brevior, anteriora versus et paullo foras directus (Tab. IV, fig. 6.). Long. ca. 2 mm. — *Femina* ignota.

Species 1. **Metopobactrus Rayi** *(Simon) ? 1882. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 6: maris pars tibialis palpi dextri desuper visa.

? Metopobactrus Rayi Sim. 1884. Ar. Fr.

Exemplum nostrum unicum (mas, pelle nuper exutâ), in quod descriptio et figura in *Les Arachnides de France* sat bene quadrant, ab exemplis a Cel. E. Simone descriptis staturâ paullo maiore, clypeo et eminentiae cephalicae pariete postico minus convexis, praesertim autem parte cephalicâ pilis tribus, neque duobus, ornatâ differre videtur.

VII. Buccari (legit Prof. N. Damin).

Genus 47. **Styloctetor** *(Simon) 1884. (pro parte).*

S. romanus (?). *Mas.* Cephalothorax subtilissime reticulatus, sternum laeve. Pars cephalica supra dorsum partis thoracicae paullulum elevata, eminentiis evidentioribus caret. Oculorum series ambae paene rectae. Clypeus paene rectus et fere directus, evidenter (circiter quartâ parte) altior quam area oculorum mediorum longa. Palporum pars patellaris circiter $^1/_3$ longior quam lata; pars tibialis parte patellari fere dimidio brevior, angulo apicali superiore exteriore in processum producto quam pars ipsa paullo longiorem, anteriora versus et paullo sursum et foras directum, sat gracilem, paene aequabiliter angustatum, apice acutum, leviter deorsum curvatum, subter paullo pone medium denticulo minuto instructum (Tab. IV, fig. 7 a.). Lamina tarsalis sub processu tibiali sulco longitudinali, a suo margine exteriore sat late distanti, ornata, apice late parum oblique truncata (fig. 7 b.); bulbus genitalis prope marginem exteriorem taeniâ ornatus corneâ, modice latâ, versus angulum apicalem interiorem laminae tarsalis et denique sub laminam tarsalem curvatâ; intra taeniam hanc bulbus spinâ ornatur breviore, nigrâ, curvatâ, membranâ pellucidâ obvolutâ, angulum laminae tarsalis apicalem exteriorem attingenti (fig. 7 c.). *Femina* nobis ignota, teste Rev. O. P. Cambridgio mari similis, epigyne prominenti, retro directâ, in margine postico foveolis duabus transversis, inter se carinâ angustâ distinctis, ornatâ.

Species 1. **Styloctetor romanus** *(Cambridge) ? 1872. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 7, *a:* maris partes patellaris et tibialis palpi dextri a latere exteriore inferiore visae, *b:* lamina tarsalis palpi eiusdem (et apex partis tibialis) desuper visa, *c:* bulbus genitalis dexter a parte inferiore et paullo a fronte visus.

? Erigone (Neriene) romana Cambr. 1872. Descript. of 24 new spec. of Erigone (Proc. Zool. Soc. 1872.). — ? Styloctetor romanus Sim. 1884. Ar. Fr.

In exemplum nostrum unicum satis bene quadrant descriptiones *Styloctetoris romani* (Cambr.) et *St. inuncantis* E. Sim., qui inter se parum differunt. Propter processum tibialem leviter deorsum curvatum exemplum hoc *St. romano* adnumeramus; brevior tamen processus hic est, quam quem Rev. O. P. Cambridge l. c. delineavit, et subter denticulo minuto ornatur, qui in *St. romano* deesse videtur.

II. Almádi (unicum marem legit Dna. Chyzer).

Genus 48. **Moebelia** *(Dahl) 1886.*

Erigone Westring. 1861. (ad part.). — Thorell. 1870—73. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Neriene Cambridge. 1879. (ad p.). — Styloctetor Simon 1884. (ad p.).

M. penicillata. *Femina:* Cephalothorax nigro-fuscus, marginibus et maculâ in occipite sitâ, cum oculorum areâ lineis tribus coniunctâ, obscurioribus, paene laevis (admodum subtiliter reticulatus); pars cephalica parum altior quam pars thoracica, dorsum inter eas paullulum impressum; sternum fere omnino laeve. Oculorum series ambae paullo procurvae; area oculorum mediorum sescuplo saltem latior postice quam antice (ca. 8:5), paullo longior quam postice lata et quam clypeus altus est; clypeus sub oculis leviter impressus, inferius paullo proiectus; oculorum posticorum intervalla diametro mediorum minora, inter se aequalia, aut medium lateralibus paullo minus. Epigynes descriptionem vid. supra (in tabulâ synoptica generum, pag. 6.) (Tab. IV, fig. 8 a.). Long. ca. 1·6—1·8 mm. — *Mas* feminae similis, clypeo aeque alto atque area oculorum mediorum longa. Palporum pars patellaris ca. $^1/_3$ longior quam lata; pars tibialis supra (processu excluso) parum longior, insigniter latior, basi angustata, in latere exteriore superiore fasciculo pilorum instructa, margine apicali superiore processu ornato quam pars ipsa paullo longiore, foras et anteriora versus directo, apice, qui compressus est et desuper adspectus acutus videtur, foras flexo; margo processus posticus prope medium in dentem dilatatus est fortem, nigrum, acutum, foras directum (Tab. IV, fig. 8 b.). Lamina tarsalis in latere exteriore apicem versus longe oblique truncata. Bulbus genitalis in latere interiore calcari ornatus forti, prope apicem suum innato, retro directo, sursum et apice intus curvato; subter apicem versus bulbus linguam inaequabilem, insigniter prominentem format, anteriora versus directam, paullo sursum curvatam, apicem emboli occultantem, qui in bulbi parte exteriore antica iacet, longus et gracilis est, et in circulum curvatus pro parte cum margine exteriore laminae tarsalis contingentem. Long. ca. 1·2—1·5 mm.

Species 1. **Moebelia penicillata** *(Westring) 1851. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 8 *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis et tarsalis palpi dextri oblique desuper visae.

Erigone penicillata Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Neriene penicillata Cambr. 1879. Sp. Dors. — Styloctetor penicillatus Sim. 1884. Ar. Fr. — Moebelia penicillata Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, B.-Szögh, Király-Helmecz 12. V. ♂, Terebes ♀, Udva 1. IV. 90. ♂♀, Szinna. — II. Tarcsa. — V. Ér-Mihályfalva. — VIII. Velebit ♀, Diakovár ♀.

Genus 49. **Gonatium** *Menge 1866.*

Simon 1884. (ad part.). — Dahl 1886. — Erigone Westring 1861. (ad p.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — O. Herman 1879. — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.).

Feminae.

1. Epigyne pars antica foveis duabus profundis rotundatis ornata. Foveae utriusque pars postica interior in sulcum abit retro fere directum, usque ad epigynes marginem posticum pertinentem. Foveae et sulci septum includunt latum, latitudine paullo inaequabili, pallide coloratum. Partes laterales epigynes obscure coloratae. Antice septum margine limitatur elevato, acuto, in angulum retro directum fracto, utrimque in margines anticos fovearum commemoratarum abeunti (Tab. IV, fig. 10 a.). Long. ca. 3—3·5 mm. **2. isabellinum.**
   Epigynes foveis profundis, a margine postico longe remotis, caret. 2
2. Epigyne pars postica foveam format profundam, postice late apertam, transversam, multo latiorem quam longam, margine antico acuto, modo arcuato, recurvo, modo in angulum latum, apice late rotundatum fracto, utrimque foveolâ auctam minutâ, rotundatâ, postice margine acuto circumdatâ; una cum foveolis lateralibus fovea ca. 0·2 mm. lata est, in exemplis staturâ maiore paullo angustior quam coxae IV. longae, in exemplis minoribus non angustior (Tab. IV, fig. 12 a.). Long. ca. 1·8—2·6 mm. **4. corallipes.**
   Epigyne ad marginem posticum nullâ foveâ ornata. 3

3. Pars epigynes media, lineis impressis e margine postico exeuntibus limitata, longior quam lata. Epigyne impressionem format vadosam, modice aut parum definitam, subsemicircularem aut trapezicam angulis rotundatis, postice latiorem; impressionis fundus lineis impressis duabus ornatus, subparallelis, antice introrsus recurvatis et inter se fere coniunctis; lineae hae, nigrae, in epigyne plerumque pallide coloratâ facile conspiciuntur, in exemplis aetate magis provectâ autem, quorum epigyne obscure colorata est, minus distinctae sunt, aream includunt longiorem quam latam, medio plus minusve evidenter coarctatam et postice paullulum latiorem quam antice (Tab. IV, fig. 9 a.). Long. ca. 2·3—3 mm. (Sec. pauca exempla Tirolensia). **1. rubens.**

— — supra dicta latior quam longa. Epigynes pars anterior foveâ ornatur sat profundâ, modice definitâ, paene semicirculari, antice rotundatâ; pars posterior lineis impressis ornatur duabus e margine postico exeuntibus, longitudinalibus, modice incurvatis, aream includentibus latiorem quam longam, medio non constrictam (Tab. IV, fig. 11.). Long. ca. 2·5 mm. (Sec. unicum exemplum). **3. hilare.**

Mares.

1. Palporum pars femoralis formâ ordinariâ. 2

— — — a basi apicem versus insigniter incrassata, ad apicem supra dente erecto ornata, parte apicali supra et in lateribus spiculis nigris multis instructa. Pars patellaris angustior quam pars femoralis ad apicem, longior quam lata. Pars tibialis supra processu maximo, in partes tres inaequales diviso ornata videtur: harum longissima, a basi porrecta, tum foras curvata, laminae tarsali adpressa, non procul ab eius angulo apicali exteriore apice obtuso terminatur, lamellam format pluries longam quam latam, secundum latus interius leviter carinatam, pellucidam, pallide coloratam; partes duae alterae breves sunt, obscure coloratae, altera dentem format supra in basi partis descriptae longissimae, compressum anteriora versus et sursum directum, apice obtusum; altera, ab hoc dente sinu profundo et lato, rotundato, distincta, in angulo apicali exteriore sita, dentem format rotundatum, intus inaequabiliter excavatum, extrinsecus convexum[1]) (Tab. IV, fig. 9 b.). Pars tarsalis parva. Pars cephalica pone oculos posticos laterales foveâ nullâ ornata. Long. ca. 2·3 mm. (Sec. pauca exempla Tirolensia). **1. rubens.**

2. Palporum pars patellaris non incrassata, longior quam lata. Pars cephalica pone oculum posticum lateralem utrumque sulco longitudinali ornata. 3

— — — insigniter incrassata, praesertim in latere interiore, latior quam longa, angulo apicali superiore exteriore in dentem acutum producto. Pars tibialis brevis, supra processu maximo ornata, in ramos duos diviso; horum alter anteriora versus directus similis atque in *G. rubenti*, alter multo brevior, foras et paullo retro directus, procurvus, apicem versus angustatus, apice modice acuto; latus exterius partis tibialis appendice ornatur crassâ, brevi, transverse positâ, nigricanti, quae in palpo desuper adspecto maximam partem ramo breviore, supra commemorato, occultatur (Tab. IV, fig. 10 b.). Sulci pone oculos posticos laterales nulli. Long. ca. 2·5 mm. **2. isabellinum.**

3. Processus, quo pars tibialis supra ornatur, laminae tarsali adpressus, a latere adspectus in longitudinem paene aequabiliter convexus, nullo dente ornatus videtur. Partis tibialis desuper adspectae latus interius convexum, exterius excavatum, basi in dentem triangularem elevatum, margo apicalis totus in processum commemoratum abit, qui mediam fere laminam tarsalem attingit, leviter sinuatus est, apicem versus aequabiliter angustatus, basi in latere exteriore dente recurrenti ornatur, ad quem denticulus minutus niger conspicitur (Tab. IV, fig. 12 b.). Latus exterius partis tibialis in carinulam compressum est, a dente, quo basis externa partis huius ornatur, oblique — deorsum et anteriora versus — descendentem, minute serratam (Tab. IV, fig. 12 c.). Long. ca. 1·8—2 mm. **4. corallipes**

Processus supra dictus, a latere exteriore adspectus, supra ad basim dentibus duobus valde prominentibus ornatur; dens posterior gracilis, sursum et paullo anteriora versus directus; dens anterior late triangularis; ambo inter se fere contingunt. Latus exterius partis tibialis appendice ornatur aeque saltem longâ atque latâ, apice plerumque dilatatâ et minute denticulatâ. Pars tibialis brevior quam in priore, minus evidenter curvata, caeterum parti tibiali *G. corallipedis* non parum similis. Long. ca. 2·2 mm. **3. hilare.**

---

[1]) Re vera pars tibialis processibus duobus ornatur valde inaequalibus. Ad processum maiorem lamella pertinet laminae tarsali adpressa et dens in basi sua supra situs et dentis externi pars superior; pars haec cum margine exteriore lamellae commemoratae et cum dente in eius basi supra sito parietibus tenuibus, foveam profundam includentibus, coniungitur. Dentis externi partem inferiorem processus proprius, minor, format, parti basali externae processus maioris arcte applicatus.

Species 1. **Gonatium rubens** *(Blackwall) 1833. „Neriene".*

Tab. IV, fig. 9, *a:* epigyne, *b:* maris partes tibialis et tarsalis palpi sinistri a latere exteriore visae (*p*: paracymbium).

Erigone chelifera Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriene rubens Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone rubens Thor. 1871. Rem. — Gonatium rubens Sim. 1884. Ar. Fr. — Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Varannó.

Species 2. **Gonatium isabellinum** *(C. L. Koch) 1841. Arachn. „Micryphantes".*

Tab. IV, fig. 10, *a:* epigyne, *b:* maris partes patellaris, tibialis, tarsalis palpi dextri a latere exteriore visae (*p:* paracymbium).

Erigone isabellina Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriene rubella Blackw. 1864.Sp. Gr. Brit. — Erigone isabellina Thor. 1871. Rem. — Neriene isabellina Cambr. 1879. Sp. Dors. — Gonatium rubellum Sim. 1884. Ar. Fr. — Gonatium isabellinum Dahl. 1886.

I. Varannó, Bártfa, Tátrafüred, Tátra (Javorina), Csorbaitó, Kabolya-Polyána, Suliguli. — IV. Ruszkabánya. — V. Zilah, Rézbánya 24. VIII. 90. ♀, Biharfüred 23. VIII. 90. ♂, Nagyszeben. — VIII. Mrzla-Vodica 12. VIII. 89. ♀.

Species 3. **Gonatium hilare** *(Thorell) 1875. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 11: epigyne.

Erigone hilaris Thor. 1875. Diagn. aran. europ. etc. (Tijdschr. v. Entomol. XVIII.). — Id. 1875. Descript. — Erigone nemorivaga Cambr. 1875. On s. n. Spec. of Erigone, P. II. (Proc. Zool. Soc.). — Gonatium nemorivaga Sim. 1884. Ar. Fr.[1])

I. Igló. — VI. Fiume 20. VII. ♀. — VII. Crkvenica.

Species 4. **Gonatium corallipes** *(Cambridge) 1875. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 12: *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi sinistri desuper visa, *c:* eadem a latere exteriore visa (*lt:* lamina tarsalis, *p:* paracymbium, *b:* bulbus genitalis).

Erigone corallipes Cambr. 1875. On s. n. Spec. of Erigone, P. II. (Proc. Zool. Soc.). — Gonatium corallipes Sim. 1884. Ar. Fr.

IV. Zlaticza. — V. Kóly.

Genus 50. **Hypomma** *(Dahl) 1886.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Gonatium Simon 1884. (ad p.).

H. bituberculatum. *Femina:* Cephalothorax et sternum laete flavo-rufa marginibus nigris, laevia, nitida. Pars cephalica in longitudinem sat fortiter convexa, caeterum dorsum marginem posticum versus lineâ subrectâ descendens. Epigynes fovea parva, lamellâ repleta antice rotundatâ aut levissime excisâ (Tab. IV, fig. 13.). Long. ca. 2·5—2·8 mm. *Mas:* Pars patellaris palporum circiter $2^1/_2$ longior quam apice lata, apicem versus leviter dilatata; pars tibialis brevis, latere

[1]) Nomen *„Erigone hilaris"* Thor. paullo prius est (24. Mart. 1875.) quam *„Erigone nemorivaga"* Cambr (20. April. 1875.).

exteriore in lobum latiorem quam longum producto, ad angulum apicalem superiorem exteriorem spinulâ nigrâ, sursum directâ, procurvâ, apice dilatatâ, in angulo apicali superiore interiore autem processu pallide colorato, valde longo, gracili, laminae tarsali adpresso, usque ad eius dimidium apicale producto, apicem versus foras curvato, ornata. Long. ca. 2—2·3 mm.

Species 1. **Hypomma bituberculatum** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. IV, fig. 13: epigyne.

Erigone bituberculata Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — O. Herm. 1879. — Neriene bituberculata Blackw. 1864. Sp. Gr. Br. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Gonatium bituberculatum Sim. 1884. Ar. Fr. — Hypomma bituberculata Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj 30. V. 89. ♂, Király-Helmecz 12. V. 89. ♂♀, Szinna 10. IV. iuv. — V. Mojád.

Genus 51. **Dicyphus** *(Menge) 1869.*

Dahl 1886. (ad part.). — Erigone Westring 1861. (ad p.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Gonatium Simon 1884. (ad p.).

D. cornutus. *Femina:* Cephalothoracis dorsum a margine postico rectâ fere lineâ adscendens usque ad partem cephalicam, haec in longitudinem modice convexa. Cephalothorax cum sterno laevis nitidus. Margines postici oculorum posteriorum lineam paene rectam designant. Epigyne prope marginem posticum foveâ ornatur mediocri, latiore quam longâ, profundâ, modice definitâ; postice in medio fovea lamellâ clausa est parvâ, cuius apex rotundatus supra foveae margines paullulum elevatus est aut in foveam paullulum ingreditur (Tab. IV, fig. 14. — Epigynes structura similis est atque in *Hypommate* et in *Dismodicis,* fovea tamen non tota lamellâ ex epigynes margine postico exeunti repletur). *Maris:* pars patellaris palporum duplo circiter longior quam apice lata; pars tibialis eâ brevior, latere exteriore inferiore in lamellam non longiorem quam latam producto, angulo apicali superiore interiore processu ornato pallide colorato, gracili, longo, cum laminâ tarsali contingenti, eius medium fere attingenti, porrecto, apicem versus leviter sursum et foras curvato, ad angulum apicalem superiorem exteriorem processu instructa parvo, crassiusculo, nigro, anteriora versus et sursum directo, apicem versus deorsum curvato, apice truncato. — Femina ca. 2—2·8, mas ca. 1·8—2·2 mm. lg.

Species 1. **Dicyphus cornutus** *(Blackwall) 1833. „Neriene".*

Tab. IV, fig. 14: epigyne.

Erigone bicuspidata Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriene cornuta Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone cornuta Thor. 1871. Rem. — Gonatium cornutum Sim. 1884. Ar. Fr. — Dicyphus cornutus Dahl. 1886.

I. Széphalom 8. VI. ♀, Terebes ♀, Mezőlaborcz, Szinna, Szepsi 31. V. ♀, A.-Meczenzéf 2. VI. ♂♀, Bártfa. — III. Kecskemét ♂, Kalocsa ♀, Hadház 15. VII. 89. ♀. — V. Püspökfürdő 16. VIII. ♀, Szamosujvár ♀. — VIII. Diakovár ♀.

Genus 52. **Dismodicus** *Simon 1884.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Walckenaëra Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Hypomma Dahl 1886. (ad p.).

Feminae.

D. elevatus. Cephalothorax et sternum laevia nitida. Pars cephalica paullo elevata, sat fortiter convexa. Epigyne lamellâ instructa postice adnatâ, ad marginem posticum epigynes partibus suis lateralibus fortiter coarctatâ, anteriora versus fortiter dilatatâ, late triangulari angulis rotundatis, margine antico late exciso; lamella haec impressione variabili ornatur, plerumque cordiformi, saepe septo angusto dimidiatâ. Epigynes fovea plerumque non tota lamellâ descriptâ occultatur et ad eius marginem anticum impressionem parvam transversam format (Tab. IV, fig. 15.). Long ca. 2—2·5 mm.

D. bifrontis femina difficile distinguitur a *D. elevato;* differre praesertim videtur lamellae commemoratae formâ, anteriora versus minus fortiter dilatatae, antice truncatae aut rotundatae neque excisae[1]) (Tab. IV, fig. 16.).

Mares.

Angulus basalis interior laminae tarsalis in dentem productus acutum, intus et paullulum retro directum; pars tibialis palporum apicem versus in utroque latere fortiter dilatata, apice plus duplo latior quam basi, latere exteriore in palpo desuper et paullo a parte interiore adspecto in angulum elevato insigniter prominentem, recto minorem, apice rotundatum; margo apicalis superior partis eiusdem prope medium, sed angulo exteriori paullo propius, processu brevi nigro ornatus, malleiformi, ramo exteriore quam interior longiore et tenuiore; pars patellaris duplo saltem longior quam lata. Tuber cephalicum supra subplanum. Long. ca. 2 mm. **1. elevatus.**

— — — — — non productus. Pars tibialis apicem versus modice dilatata, apice non duplo latior quam basi, latere exteriore desuper et a parte interiore viso modice sinuato, non angulato; margo apicalis partis eiusdem processu simili atque in priore ornatus, apice tamen minus dilatato, ab angulo externo minus remoto; pars patellaris similis atque in priore. Tuber cephalicum minus latum, supra in longitudinem leviter impressum. Long. ca. 2 mm. (Sec. exempla Polonica). **2. bifrons.**

Species 1. **Dismodicus elevatus** *(C. L. Koch) 1838. „Micryphantes".*

Tab. IV, fig. 15: epigyne.

Erigone elevata Thor. 1871. Rem. — Dismodicus elevatus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Sárospatak, Tokaj, Varannó, Sztropkó 6. VI. ♀, Szinnaikő 14. VI. ♀, Bártfa ♀, Zboró, Tátraháza, Igló, Nagy-Rőcze, Felfalu ♀, Vág-Tepla. — IV. Ruszkabánya, Orsova. — V. Görgény-Szt.-Imre ♀, Borszék, Bucsecs, Tömös 28. VI. ♀. — VIII. Plitvica ♀, Vrdnik 8. VII. 92. ♀.

Species 2. **Dismodicus bifrons** *(Blackwall) 1841. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 16: epigyne.

Erigone elevata Westr. 1861. Ar. Suec. — Walckenaëra bifrons Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone bifrons Thor. 1871. Rem. — Dismodicus bifrons Sim. 1884. Ar. Fr. — Hypomma bifrons Dahl 1886.

I. Varannó.

---

[1]) Exempla pauca feminina ad Cracoviam cum maribus *D. bifrontis* lecta neque aculeorum longitudine neque oculorum situ aut magnitudine a *D. elevato* differre mihi videntur.

Genus 53. **Trichoncus** *(Simon) 1884.*

Walckenaëra Blackwall 1864. (ad part.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Erigone Thorell 1870—73. (ad p.). — Tigellinus Simon 1884. Ar. Fr. (ad p.: *saxicola*[1]).

Feminae.

1. Epigyne fissurâ medianâ ornatur. 2
— fissurâ mediana caret, lamellam format crassiusculam, latam, quae a latere adspecta postice supra ventris planum paullo prominet et retro et paullo deorsum directa est; margo epigynes posticus parum ultra epigastrii marginem prominet, in universum late rotundatus et plus minusve inaequalis est; ad marginem posticum paries epigynes inferior (a ventre aversus) ligulâ elevatâ ornatur glabrâ, nitidâ, convexâ, latiore quam longâ, latitudine tibias posticas saltem aequanti (Tab. IV, fig. 17.); paries superior ligulâ aequali fere latitudine instructus est, apice recte truncatâ aut leviter emarginatâ; margo posticus epigynes itaque foveolâ ornatur profundâ, formâ paullo varianti, plus minusve rectangulâ et latiore quam longâ. Abdomen solito longius et crassius pilosum. Long. ca. 2·2—2·4 mm. **1. scrofa.**
2. Fissurae margines inter se contingunt. 3
— — inter se non contingunt. Epigyne supra ventris planum paullo elevata, convexa, margine postico late rotundato; fissura partem eius posteriorem solam occupat, eius margines antice elevati sunt et in angulum acutum, apice breviter rotundatum coëunt, posterius subito a se discedunt; pars haec fissurae fortiter dilatata lamellâ repletur aeque atque margines sui elevatâ, rotundato triangulari, latiore quam longâ, in longitudinem convexâ (Tab. IV, fig. 18.). Long. ca. 1·9 mm. (Sec. 2 exempla). **2. sordidus.**
3. Tibiae anteriores caeteris pedum partibus non evidenter obscurius coloratae. Epigyne similis atque in sequenti (Tab. IV, fig. 19 a.). Long. 2—2·5 mm. **3. affinis.**
— — praesertim apicem versus, fusco-nigrae, caeteris pedum partibus multo obscuriores. Epigynes fissura partem posteriorem solam occupat; margines fissurae inter se contingentes et paullo elevati, tuberculum formant oblongum, glabrum, nitidum; in margine epigynes postico fissura dilatata est; partem hanc dilatatam apex lamellae replet, cuius pars maxima, marginibus parallelis limitata, in pariete superiore epigynes iacet (Tab. IV, fig. 20.). Long. ca. 2 mm. (Sec. pauca exempla Polonica). **4. saxicola.**

Mares.

Pars tibialis apice supra, in angulo interiore et in exteriore, processibus duobus longis ornata.

1. Processus tibialis interior parum curvatus. 2
— — — fortiter, fere in semicirculum, curvatus, apice foras aut foras et paullulum retro directo. 3
2. Processus tibialis exterior in latere interiore prope apicem dente forti ornatus. Long. 2·5 mm. (Sec. Cel. E. Simonem). **1. scrofa.**
— — — in margine interiore nullo dente instructus (Margo apicalis partis tibialis inter processus ambos dente instructus parum evidenti). Tibiae anteriores caeteris pedum partibus non obscuriores. Processus tibialis exterior, margo apicalis exterior partis tibialis, lamina tarsalis, bulbus genitalis, similia fere atque in *Tr. saxicola*. Long. ca. 2 mm. (Tab. IV, fig. 19 b, c, d.). **3. affinis.**
3. Margo interior processus tibialis exterioris ad basim dente insigniter prominenti ornatus. In palpo a latere adspecto processus tibialis exterior sursum non prominet. Tibiae anteriores caeteris pedum partibus non obscuriores. Lamina tarsalis inter processus tibiales in carinam compressa est acutam, modice et paene aequabiliter curvatam, extrinsecus concavam. Bulbus genitalis stylo longo gracili nigro instructus, non procul a suo medio innato, a basi deorsum et retro directo, tum in circulum fere interiora versus curvato, bulbi apicem attingenti. Long. 1·6—2·0 mm. **2. sordidus.**[2])

---

[1]) *Tigellinus furcillatus* (Menge) ad „*Walckenaërinos*" pertinet; *T. saxicola* (Cambr.) contra a *Walckenaërinis* differt insigniter et cum *Trichonco* coniungendus nobis videtur.

[2]) Fig. 244. et 776. in Les Arachnides de France, t. V., pars III., certo partem tibialem desuper, partem tarsalem autem paullo deflexam, desuper et a parte postica repraesentant; in figuris his itaque processus tibialis interioris longitudo cum lamina tarsali comparata maior videtur, quam re vera est (praesertim in fig. 776.); dens partis tibialis externus a processu, quo angulus apicalis exterior partis huius ornatur, in palpo desuper adspecto sinu profundiore distinctus videtur, quam qui in fig. 776. delineatus est.

Margo interior processus tibialis exterioris inermis. In palpo a latere adspecto processus tibialis exterior, sursum fere directus, procurvus, insigniter prominet. Tibiae anteriores nigro-fuscae, caeteris pedum partibus multo obscuriores. Margo apicalis exterior partis tibialis in dentem latum triangularem productus. Laminae tarsalis et bulbi forma similis fere atque in *Tr. sordido*. Long. ca. 2 mm. (Sec. 1 exemplum). **4. saxicola.**[1])

Species 1. **Trichoncus scrofa** *Simon 1884. Ar. Fr.*

Tab. IV, fig. 17: epigyne.

I. Tokaj 30. V. 1889. ♀. — VII. Crkvenica ♀.

Species 2. **Trichoncus sordidus** *Simon 1884. Ar. Fr.*

Tab. IV, fig. 18: epigyne.

Species meridionalis.

VII. Buccari ♂♀, Meja 14. VIII. 1889. ♂, Novi 5. VII. 1892. ♂♀.

Species 3. **Trichoncus affinis** *nova species Kulczyński.*

Tab. IV, fig. 19 *a:* epigyne, *b*: bulbus genitalis dexter, *c:* maris pars tibialis palpi dextri a latere interiore, *d:* eadem a latere exteriore visa.

Femina.

Cephalothorax antice fortiter angustatus, vix sinuatus, fronte leviter rotundatâ et cum lateribus partis cephalicae angulos late rotundatos formanti; oculorum area plus duplo angustior quam cephalothorax (ca. 4 : 9); in cephalothorace desuper adspecto oculi laterales postici ab eius margine non totâ diametro suâ distare videntur, clypeus ultra oculos anticos medios parum prominet. Dorsi pars posterior, longa, modice declivis, a latere visa fere recta, cum parte anteriore in angulum latum et rotundatum quidem, manifestum tamen coniungitur; pars anterior in universum sublibrata, posterius leviter excavata, anterius leviter convexa et parum altior quam angulus commemoratus. In angulo cephalothorax vestigio lineolae impressae valde indistincto, in declivitate posticâ autem foveâ latâ, parum profundâ, parum definitâ ornatur; impressiones cephalicae sat profundae, latae, impressiones partis thoracicae radiantes parum expressae; latera cephalothoracis praeter eas non raro foveolis aliis irregularibus, parum definitis, situ et numero variantibus ornantur. Cephalothorax admodum subtiliter reticulatus est, paene laevis. *Oculorum* series posterior paene recta (levissime procurva), oculi medii situ et magnitudine paullo variant, modo paullulum minores, modo paullulum maiores sunt quam laterales, eorum intervallum plerumque paullulum minus quam spatia, quibus ab oculis lateralibus distant, nonnunquam autem paullulum maius, intervalla haec omnia a diametro oculorum mediorum parum diversa. Area oculorum mediorum postice aeque circiter lata atque longa et non duplo latior quam antice. Oculorum series anterior paene recta aut levissime deorsum curvata (marginibus superioribus lineam paene rectam designantibus), oculi medii lateralibus insigniter minores et ab eis spatiis circiter duplo maioribus (diametro suae circiter aequalibus) quam inter se remoti. Clypeus sub oculis mediis altitudine circiter $^3/_4$ areae eorum aequat, paene rectus est, paullulum proiectus. *Mandibulae* circiter $^1/_3$ longiores quam facies alta, clypeo $2^1/_2$ saltem longiores, paullo breviores quam ambae simul sumptae latae sunt, apice intus rotundatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 3, maioribus, et superius dentibus 1—2, in sulci commemorati margine postico autem denticulis minutis et inter se valde approximatis, 4—5 armatae. *Maxillae* breves, in labium paullulum inclinatae, apice oblique truncatae. *Labium* multo latius quam longum, basi impressum. *Sternum* laeve, paullo longius quam latum, postice inter coxas IV. productum et aeque fere atque pedum coxae latum, sursum curvatum, truncatum, summo margine paullulum elevato,

[1]) Cfr. notam sub 2) paginae praecedentis.

transverso. *Pedes* longi, graciles, aculeis longis ornati (aculei in tibiarum dorso siti earum diametro multo longiores). *Abdomen* cute molli tectum, desuper visum ovatum aut paene ellipticum, ovis distentum latitudine fere $^8/_9$ longitudinis aequans, ovis depositis fere sescuplo longius quam latum. *Epigyne* paene semicircularis, margine postico late rotundato, ultra epigastrii marginem parum prominens, in dimidio posteriore in tuberculum elevata obtusum, oblongum, nitidum, rimâ longitudinali omnino angustâ dimidiatum: in tuberis pariete postico rimae margines a se discedunt et lamellam includunt latiusculam (pedum tibiis latiorem), lateribus parallelis, apice late rotundatam aut truncatam (partes hae paullo mutabiles videntur). A latere adspecta epigyne supra ventris planum paullo elevata est, antice leviter convexa, in tuberis latere anteriore leviter excavata, tuberis latus posterius convexum.

Cephalothorax testaceo-fuscus, margines versus obscurior, in occipite maculâ obscuriore transversâ, angulum crassum formanti, cum oculorum areâ lineis fuscis tribus coniunctâ, ornatus. Mandibulae et maxillae colore cephalothoraci similes, labium nigricans, sternum nigro-fuscum. Palpi testacei, colore fusco sat fortiter suffusi, pedes testacei, anteriores leviter infuscati posterioribus paullulum obscuriores. Abdomen pallidius aut obscurius fuscum, subter plerumque evidenter obscurius quam supra.

Cephalothorax (0·85—) 0·9 mm. longus, 0·7 latus; pedum I. femur 0·85, patella 0·26, tibia 0·75, metatarsus 0·63, tarsus 0·52, partes pedum II: 0·80, 0·24, 0·67, 0·60, 0·49, III: 0·71, 0·21, 0·52, 0·49, 0·42, IV: 0·98, 0·23, 0·86, 0·70, 0·47 mm. longae. Abdomen (ovis depositis) 1·3 lg., 0·9 lat.

Mas feminae similis. Frons media in angulum fracta obtusum et late rotundatum, melius fere expressum, quam anguli, in quos coëunt partis cephalicae latera cum fronte. Oculorum area latitudine dimidiam cephalothoracis latitudinem fere aequat. Pars cephalica parum quidem, evidenter tamen altior quam angulus, in quem dorsum cephalothoracis posterius fractum est. *Oculorum* series posterior subrecta (levissime recurvata). Area oculorum mediorum paullo longior quam lata postice. Series oculorum anterior paene recta, oculi medii inter se ne radio quidem, a lateralibus spatiis quam diameter insigniter maioribus remoti. Clypeus fere rectus (in dimidio inferiore paullulum convexus) et fere directus, parum humilior quam area oculorum mediorum longa. *Mandibulae* duplo longiores quam clypeus altus, aeque fere longae atque ambae simul sumptae latae, formâ et armaturâ similes atque in feminâ. (*Maxillae* paullo longiores et paullo fortius in labium inclinatae quam in femina[1]). *Palporum* pars femoralis formâ vulgari, subcylindrata, leviter compressa, basi leviter incurvata; pars patellaris circiter $^1/_4$ longior quam lata, lateribus subparallelis; corpus partis tibialis parte patellari insigniter brevius; a basi pars haec fortiter, campanulato dilatata et admodum fortiter incrassata est, processibus quatuor ornatur, quorum duo: infernus et exterus, breves, duo alteri, supra et in latere interiore siti, insigni sunt longitudine; subter versus latus exterius margo apicalis lobum format obtusum, obliquum, a processu extero sinu parvo et impressione distinctum; processus exterus parti tarsali paene adpressus, latus valde, multo latior quam longus, triangularis, apice parum acuto; supra versus latus exterius pars haec in processum producta est sescuplo fere longiorem quam dorsum partis patellaris, fere erectum, gracilem, in hamulum parvum procurvum desinentem, in latere exteriore cum processu extero coniunctum; processus lateris interioris a processu superno sinu rotundato distinctus, aeque saltem atque ille longus, paullo latior, pluries longior quam latus, latitudine ubique subaequali, apice obtusus, anteriora versus et paullo sursum directus, apicem versus leviter sursum et foras curvatus, cum laminâ tarsali plus minusve contingens; sinus processibus interno et superno interiectus dente brevi ornatur, qui difficilius conspicitur. Pars tarsalis parte femorali parum longior; lamina tarsalis apicem versus leviter angustata est, apice late rotundata, prope basim inter processus tibiales internum et supernum tuber format obtusum, in eius latere exteriore excavata est, caeterum impressionibus et eminentiis evidentioribus caret. Paracymbium parvum, simplex. Bulbi genitalis pars anterior externa crassa prominens; ad eius latus interius bulbus stylo ornatur longissimo, in circulum fere curvato, a basi retro directo, basim bulbi fere attingenti, intus et anteriora versus curvato, cum laminae tarsalis margine interiore contingenti, in apicem bulbi abeunti, ubi membranâ tenui pellucidâ obvolvitur, una cum calcari nigricanti, flexuoso, in quod pars alia bulbi desinit, stylo hoc circumcincta, profundius sita, oblonga, oblique posita. (Pedum aculei in exemplis duobus, quae vidi, defracti videntur). Abdomen cute molli tectum.

Color similis atque feminae; palporum pars tibialis — praesertim margines versus — et lamina tarsalis infuscatae.

---

[1]) Similem in modum differre videntur maxillae marium a maxillis feminarum in plerisque speciebus veteris generis *Erigones*.

Cephalothorax (0·78 —) 0·88 mm. lg., pedum I. femur 0·78, patella 0·23, tibia 0·67, metatarsus 0·62, tarsus 0·52, partes pedum II.: 0·73, 0·23, 0·63, 0·58, 0·40, pedum III.: 0·63, 0·21, 0·52, 0·54, 0·42, pedum IV.: 0·85, 0·23, 0·83, 0·72, (tarsus: ?) mm. longae, abdomen ca. 1·1 mm. longum, 0·6—0·8 latum.

Species haec valde affinis est *Trichonco saxicolae*. Mas facile distinguitur partis tibialis forma, femina fere nullâ aliâ re a feminâ *Tr. saxicolae* differre videtur, nisi tibiis anterioribus non obscure coloratis. Feminae, quae nobis ad hanc speciem pertinere videntur, oculorum situ et epigynes formâ paullo variant; fortasse cum veris feminis *Trichonci affinis* confusae sunt a nobis feminae *Tr. saxicolae* tibiis non infuscatis (?).

I. S.-A.-Ujhely 25. V. 1889. ♀, Tokaj 20. V. 1889. ♀, Szinnaikő 14. VI. 1889. ♀. — IV. Herkulesfürdő (Sztretku) 10. VII. ♀, Zlaticza 7. VII. 1886. ♀. — V. Lotrioravölgy 7. IV. 1889. ♀. — VII. Martinscizza ♀ et 18. III. 1886. ♂, Buccari ♂♀, Crkvenica ♀, Novi 5. VII. 1892. ♀. — VIII. Vrdnik (Fruskagora) 8. VII. 1892. ♀, Plitvicza.

Species 4. **Trichoncus saxicola** *(Cambridge) 1864. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 20: epigyne paullo a parte postica visa.

Walckenaëra saxicola Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Erigone saxicola Thor. 1873. Rem. — Tigellinus saxicola Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Szomotor in arenosis (unicus ♂).

Genus 54. **Dicymbium** *Menge 1867.*

Simon 1884. —. Dahl 1886. — Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.).

Feminae.

D. nigrum. Pars cephalica supra dorsi partem mediam sublibratam insigniter elevata; pars thoracica striis radiantibus impresso-punctatis ornata, ad margines obsolete rugosa, caeterum laevis nitidissima; sternum dense impresso-punctatum, margine antico et parte mediâ anteriore sublaevibus. Epigyne sulco longitudinali ornata; sulci margines incrassati glabri, a partibus adiacentibus rugosis saepissime etiam colore multo pallidiore distincti (Tab. IV, fig. 21.). Long. ca. 1·8—2·6 mm. (Exempla staturâ maiore probabiliter ad *D. tibiale* pertinent, cuius femina caeterum adeo similis est *D. nigro*, ut certo distingui non possit).

Mares.

Bulbi genitalis partem anticam exteriorem spina nigra longa format in circulum curvata.
Tibiae I. tibiis II. non evidenter crassiores. Long. ca. 1·8—2·2 mm. **1. nigrum.**
— — — — circiter duplo crassiores. Long. ca. 2—2·5 mm. **2. tibiale.**

Species 1. **Dicymbium nigrum** *(Blackwall) 1834. „Neriene".*

Tab. IV, fig. 21: epigyne.

Erigone scabristernis Westr. 1861. Ar. Suec. — Neriene nigra Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone nigra Thor. 1871. Rem. — Dicymbium nigrum Sim. 1884. Ar. Fr. — ? Dicymbium scabristerne Dahl. 1886.

I. Bodrog-Szögh 15. IX. ♀ (?), Varannó ♀ (?), Hoverla ♀ (?).

Species 2. **Dicymbium tibiale** *(Blackwall) 1836. „Neriene".*

Neriene tibialis Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone tibialis Thor. 1871. Rem. — Dicymbium tibiale Sim. 1884. Ar. Fr. — Dahl. 1886.

V. Nagy-Szeben ♂♀ (Legit Prof. Ormay).

Genus 55. **Diplocephalus** *Bertkau 1883.*

Simon 1884. — Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Walckenaëra Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Dahl 1886. (ad p.). — Prosoponcus Simon 1884. — Araeoncus Simon 1884. — Plaesiocraerus Simon 1884. (ad p.). — Lophocarenum Dahl 1886.

Feminae.

1. Margines postici oculorum posteriorum lineam designant subrectam. Cephalothorax et sternum laevia. 2
— — — — lineam designant insigniter procurvam. 3

2. Margines inferiores oculorum anteriorum lineam designant paullulum deorsum curvatam, oculi antici medii a clypei margine paullo longius distant quam ab oculis mediis posticis. Rima epigynes antice in foveolam minutam dilatata, formâ paullo varians: marginibus anterius contingentibus, posteriora versus modo a basi leviter et aequabiliter a se discedentibus, modo in epigynes parte posteriore tantum, fortius, discedentibus; margines rimae non depressi (epigyne itaque in transversum paene aequabiliter convexa); rimae pars postica tuberculum includit aeque paene atque eius margines elevatum (Tab. IV, fig. 22 a, b.). Humefacta epigyne fusco-flavida, marginibus rimae angustis nigro fuscis; tuberculum medium lamellis lateralibus non aut non multo pallidius, harum utraque maculâ nigro-fuscâ sat magnâ, parum definitâ, ornata. Long. ca. 1·7—2·4 mm. **2. cristatus.**
— — — — lineam designant paullulum recurvatam; oculi antici medii a clypei margine non longius distant quam ab oculis mediis posticis. Epigyne similis atque in priore, margines lamellarum, rimam includentium, tamen insigniter depressi sulcum formant profundum et latum; lamellae utriusque angulus posticus internus fortiter rotundatus, rima igitur postice subito dilatata; pars haec dilatata tuberculo repletur transverso, lamellis insigniter humiliore (Tab. IV, fig. 23.). Humefacta epigyne in exemplis nondum perfecte coloratis similem in modum atque in priore picta, in obscurius coloratis tota fusca picturam nullam evidentiorem praebet. Long. ca. 1·4—1·6 mm. **4. humilis.**

3. Lamellae epigynes angulo postico interiore acuto, postice inter se contingentes aut fere contingentes, anteriora versus paullo a se discedunt, rima epigynes itaque postice omnino angusta, anteriora versus leviter dilatata; pars rimae anterior carinâ dimidiatur angustâ, aeque atque epigynes lamellae elevatâ; hae subplanae (Tab. IV, fig. 28.). Cephalothorax et sternum laevia nitida. Long. ca. 1·5—1·7 mm. **8. picinus.**[1])
Rima epigynes anteriora versus non dilatata, neque carinâ ullâ dimidiata; lamellarum angulus posticus interior rectus aut rotundatus. 4

4. Lamellae epigynes angulo postico interiore recto (summo apice rotundato) earum margines interiores usque ad epigynes marginem posticum inter se contingunt (antice rima epigynes plerumque in foveolam minutam dilatata est). 5
Rima epigynes postice plus minusve subito dilatata. 6

5. Sternum, ut cephalothorax, laeve nitidum. Epigynes lamellae subplanae, marginibus interioribus et posticis paullulum elevatis, subacutis (Tab. IV, fig. 26.). Long. ca. 2—2·3 mm. **6. Helleri.**
— punctis impressis sat magnis ornatum, inter ea obsolete rugosum. Cephalothorax laevis nitidissimus. Epigyne similis atque in priore, lamellae tamen postice in longitudinem convexae, margine postico obtuso (Tab. IV, fig. 25 a.). Long. ca. 1·9—2·2 mm. **5. subelevatus.**

---

[1]) Haec aranea, quae in Polonia pluries lecta est cum maribus *D. picini,* vera mihi femina *D. picini* videtur. Femina *Plaesiocraeri picini* a Cel. E. Simone descripta ad aliam, mihi probabiliter ignotam speciem pertinet.

6. Cephalothorax et sternum laevia nitidissima. Pars posterior dilatata rimae epigynes non latior quam longa. Epigyne tota parum inaequabiliter convexa (lamellae inter se et a tuberculo, quo rimae pars posterior dilatata repletur, sulcis angustis distinguuntur). Epigynes humefactae pictura similis atque in *D. cristato*. 7
Pars thoracica reticulata; sternum subtilissime reticulatum praesertim in lateribus, punctis impressis solito maioribus adspersum, nitidum. Pars rimae epigynes postica dilatata tuberculo latiore quam longo repletur. Lamellae epigynes, insigniter convexae, inter se et a tuberculo medio sulcis latis et profundis distinguuntur (Tab. IV, fig. 27 a.). In epigyne humefactâ tuberculum — pallide coloratum — a lamellis magnam partem obscure coloratis plerumque facillime distinguitur. Long. ca. 1·5—2·0 mm. **7. latifrons.**
7. Oculorum series posterior modice procurva: puncta media mediorum cum marginibus posticis lateralium lineam subrectam designant. Long. ca. 1·8—2·1 mm. **1. crassiloba var.**
— — — fortiter procurva: linea supra dicta insigniter procurva. Long. ca. 1·8—2·1 mm. (Tab. IV, fig. 24 a.). **3. connectens.**[1])

Mares.

1. Pars cephalica in latere utroque foveâ ornata. 4
Foveae in partis cephalicae lateribus nullae 2
2. Oculi postici medii inter se minus quam a lateralibus remoti. 3
— — — inter se longius quam a lateralibus remoti. Pars cephalica in tuber elevata crassum, latius quam longum, supra late truncatum, subplanum, declive, breviter pilosum; oculi medii anteriores et posteriores in marginibus huius areae declivis iacent; oculi laterales, in lateribus partis cephalicae siti, a marginibus areae commemoratae parum distant. Palporum pars patellaris duplo longior quam lata, latere exteriore in longitudinem modice convexo; pars tibialis valde brevis, supra tamen in processum magnum producta; hic ultra mediam laminam tarsalem prominet, eius parti interiori incumbit, lamellam format parte patellari multo latiorem, latere interiore convexo, latere exteriore sinuato (basim versus convexo, apicem versus excavato) et prope medium dente plus minusve manifesto ornato, apice sinu profundo, rotundato, in partes duas diviso, quarum interior acuta et foras curvata est, exterior autem multo maior, foras curvata, paullo adscendens, medium versus dilatata, apice acuminata. Long. ca. 1·3—1·6 mm. **4. humilis.**
3. Pars cephalica inter oculos medios anticos et posticos leviter impressa; pars haec in processum elevata subconicum, formâ et altitudine paullo variantem, apice impressione transversâ (ut dictum est) in tubercula divisum humilia breviter pilosa duo, quorum anterius oculos medios anticos in pariete antico sub apice gerit, posterius autem oculos medios posticos in pariete postico ab apice longius remotos; oculi laterales multo demissius in lateribus siti. Palporum pars patellaris circiter $2^1/_2$ longior quam lata; pars tibialis valde brevis, processu magno ornata, ultra mediam laminam tarsalem insigniter producto, multo latiore quam pars patellaris, longiore quam lato, latere exteriore basim versus convexo, apicem versus late et parum profunde excavato, apice truncato, angulo apicali interiore in calcar producto foras fere directum, gracile, aeque circiter longum, atque processus ipse latus est. Bulbi genitalis pars apicalis exterior processu insigniter prominenti, pallido, leviter sinuato, apicem versus longe attenuato, deorsum et anteriora versus directo, ornata (Tab. IV, fig. 22 c.). Long. ca. 2—2·3 mm. **2. cristatus.**
— — inter oculos medios anticos et posticos profunde — usque fere ad oculos laterales — excavata: in processus duos elevata, quorum anterior sursum et anteriora versus directus est, posterior anteriore multo longior, paullo crassior et latior, basi ei subparallelus, apicem versus anteriora versus curvatus, supra convexus; ambo prosessus foramen late ovatum includunt; apices eorum pilosi. Oculi medii antici in processu anteriore, sub eius apice iacent, postici in processus posterioris lateribus paullo ante eius partem summam (Tab. IV, fig. 29 a.). Palporum forma fere eadem atque in priore (fig. 29 b, c.). Long. ca. 1·8 mm. **1. crassiloba var.**
4. Palporum processus tibialis magnus, apice in universum late truncatus, angulo apicali interiore in appendicem plus minusve foras directam producto (nonnunquam etiam versus marginem apicalem medium appendice simili ornatus). 5

[1]) *Diplocephalus cristatus, crassiloba, connectens,* partium genitalium formâ adeo inter se similes, ut de ipsorum artâ propinquitate dubitari non possit, clare demonstrant: formam seriei oculorum posteriorum pro systemate „*Lophocareninorum*“ nullius esse momenti. „*Gonatiini*“ et „*Lophocarenini*“ (sens. strict.) Cel. E. Simonis facticiae mihi sectiones videntur.

Processus tibialis basi latus, medium versus insigniter angustatus et in lamellam retorsus anteriora versus et foras directam, subplanam, 3—4-plo longiorem quam latam, latitudine ubique subaequali, apice obtusam, marginem laminae tarsalis exteriorem anticum attingentem. Pars cephalica in tuber elevata plus duplo longius quam altum, aeque latum atque oculorum area, postice convexum, inter oculos posticos medios late et levissime in longitudinem sulcatum, inter oculos medios anticos et posticos pilosum, non impressum. Oculorum series anterior insigniter deorsum curvata. Cephalothorax cum sterno laevis, nitidus. Long. ca. 1·5—1·7 mm. (Sec. exempla Polonica). **8. picinus.**

— — usque ad basim fere in lacinias duas pluries longiores quam latas, subparallelas, divisus. Lacinia exterior interiore paullulum latior, brevior, supra laminam tarsalem paullo elevata, apicem versus paullulum angustata, ad apicem in latere exteriore sinu rotundato ita excisa, ut in unguiculum foras curvatum, parum acutum, desinat. Lacinia interior laminae tarsali incumbens, apice foras retorsa in lamellam inaequabilem, paullo quam est ipsa latiorem, scabram, apice rotundato-truncatam, parti laminae tarsalis exteriori anticae incumbentem (Tab. IV, fig. 25 b.). Long. ca. 1·8—2 mm. **5. subelevatus.**[1])

5. Cephalothorax reticulatus; sternum impresso punctatum. Pars cephalica supra oculos anticos medios profunde impressa. Processus tibialis latere exteriore basim versus leviter convexo, non angulato, apicem versus leviter exciso, angulo apicali exteriore subrecto apice rotundato; margo apicalis desuper adspectus rectus videtur, re verâ paullo deflexus est et in processum subito coarctatus foras curvatum, acutum, quo apex appendicis alius, ex angulo apicali interiore exeuntis, gracilis, subito foras flexi, multo longioris, occultatur (Tab. IV, fig. 27 b.). Bulbus processibus pluribus ornatur, quorum duo praesertim insignes sunt; alter apicem bulbi a parte exteriore adspecti format, crassus, deorsum et anteriora versus directus est, apice fissurâ angustâ sat profundâ ornatur, alter ab apice longius remotus, trabeculam format transversam, apice anteriora versus et intus directo, subito oblique acuminato. (Fig. 27 c.). Long. ca. 1·8—2 mm. **7. latifrons.**[2])

— laevis, nitidus. 6

6. Pars cephalica in tubercula duo elevata; eorum anterius, parvum, oculos medios anticos gerit; posterius, oculos medios posticos gerens, aeque latum atque tota oculorum area, altius quam latum (Tab. IV, fig. 24 c.). Palpi (fig. 24 b.) perparum differunt a palpis *D. cristati* (pars patellaris ca. 3-plo longior quam lata, processus apicalis exterior bulbi genitalis fortasse paullo latior, minus gracilis). Long. ca. 2 mm. **3. connectens.**

— — in tuber elevata unum, inter oculos medios anticos et posticos paullulum in longitudinem excavatum. Palporum processus tibialis apicem fere laminae tarsalis attingit, in latere exteriore a basi medium versus dilatatus, tum angustatus, ita ut margo apicalis insigniter brevior evadat quam processus maxima latitudo; margo apicalis leviter excavatus, ad angulum exteriorem denticulo parvo instructus, angulo interiore in appendicem producto sub processum (inter eum et laminam tarsalem) flexam, sat latam, obtusam, foras fere directam, aeque circiter atque processus margo apicalis longam. Bulbus genitalis spinâ longâ crassiusculâ ornatus, parti suae anticae interiori innatâ, anteriora versus directâ, foras et paullo retro curvatâ, in bulbi latere exteriore subito intus et paullo deorsum curvatâ; hunc in modum curvata spina (embolus) cum bulbo foramen includit subovatum, obliquum. Long. ca. 1·8—2·0 mm. **6. Helleri.**

---

[1]) In *Diplocephalum subelevatum* nostrum bene quadrat Cel. Dris L. Kochii descriptio *Erigones subelevatae*. Cel. E. Simon speciem hanc cum *Diplocephalo (Plaesiocraero) protuberanti* (F. O. P. Cambr.), specie mihi ignotâ, comparat. Secundum figuras a Rev. O. P. Cambridgio et a Cel. Simone delineatas differt *D. protuberans* insigniter a *D. subelevato* partis tibialis formâ: quod Cel. E. Simon de *processu* tibiali *D. subelevati* scripsit, non male quadrat in *laciniam* processus huius *exteriorem solam*.

[2]) Non dubito, quin *D. latifrons* noster idem sit atque *Walckenaëra latifrons* Rev. F. O. Cambridgii et *Plaesiocraerus latifrons* Cel. E. Simonis, quamquam figurae processus tibialis ab his Auctoribus delineatae non bene in eum quadrant. Denticulus, quo appendix angulo processus huius interiori innata prope apicem in margine postico ornata in *Les Arachnides de France* describitur, certo verus apex est appendicis huius, pro parte occultae appendice aliâ, quam Cel. E. Simon probabiliter pro apice appendicis internae habuit. — Oculorum series anterior in nostris *D. latifrontibus* plus minusve (nonnunquam perparum) procurva est, oculi medii a lateralibus circiter diametro suâ aut spatio insigniter maiore distant; clypeus in omnibus insigniter convexus est, infra reclinatus. Variare itaque videtur *D. latifrons* oculorum anteriorum situ. *Plaesiocraerus opacithorax*, qui teste Cel. E. Simone a *D. latifronte* differt oculorum serie anteriore omnino rectâ, non procurvâ, oculis mediis a lateralibus diametro suâ (neque duplâ diametro) remotis, clypeo convexo, non reclinato (in *D. latifronti* clypeus planus, fortiter reclinatus describitur) fortasse varietas est *D. latifrontis*. — Exempla duo ad Czéke lecta, a Cel. Beckerio *Plaes. opacithorax* appellata, a *D. latifronti* distinguere non possum.

Species 1. **Diplocephalus crassiloba** *(Simon) 1884. Ar. Fr. „Prosoponcus“.*

Tab. IV, fig. 29, *a:* maris pars cephalica, *b:* partes tibialis et tarsalis palpi dextri desuper visae, *c:* eaedem a parte inferiore visae.

Exemplum masculinum nostrum, unicum, differt a mare a Cel. E. Simone delineato, eminentiâ cephalicâ anteriore apicem versus parum et paene aequabiliter attenuatâ, neque apicem versus postice incrassatâ. Formam hanc *var. hungaricam* appellamus.

IV. Petnik (unicus ♂).

Species 2. **Diplocephalus cristatus** *(Blackwall) 1833. „Walckenaëra“.*

Tab. IV, fig. 22, *a, b:* epigyne, *c:* maris partes tibialis et tarsalis palpi dextri.

Erigone bicornis Westr. 1864. Ar. Suec. — Walckenaëra cristata Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Dahl 1886. — Erigone cristata Thor. 1871. Rem. — Prosoponcus cristatus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Tolcsva, Tokaj, B.-Szögh 15. IX. ♂, Czéke, Varannó, Suliguli, Körtvélyes, Eperjes, Tátra (Kriván), Csorbaitó. — IV. Herkulesfürdő. — V. Biharfüred.

Species 3. **Diplocephalus connectens** *nova species Kulczyński.*

Tab. IV, fig. 24, *a:* epigyne, *b:* maris partes tibialis et tarsalis palpi dextri desuper visae, *c:* eiusdem pars cephalica.

Femina.

Cephalothorax antice mediocriter attenuatus, lateribus leviter sinuatis; oculorum area paullo plus duplo angustior quam cephalothorax (ca. 5 : 11), desuper adspecti oculi laterales postici a marginibus lateralibus partis cephalicae spatiis quam diameter paullo maioribus distare, oculi medii antici clypei marginem attingere videntur; frons parum rotundata, cum lateribus partis cephalicae angulos late rotundatos format. Dorsi pars posterior longa modice declivis, paene recta, cum parte anteriore angulum manifestum format; haec posterius modice excavata, anterius modice convexa est: pars cephalica leviter elevata, puncta summa oculorum mediorum posticorum non aut parum demissius sita quam dorsi pars summa. Cephalothorax laevis nitidus; impressiones cephalicae modice profundae, latae; declivitas postica foveâ mediocri, sat profundâ, rotundatâ, postice parum definitâ ornatur; linea impressa in dorsi angulo nulla, impressiones radiantes partis thoracicae indistinctae. *Oculorum* series posterior fortiter procurva: margines postici lateralium cum marginibus anticis mediorum lineam rectam aut leviter modo recurvatam designant, oculi sat magni (magnitudine paullo variant), intervalla parum aut modice inaequalia (medium lateralibus modo paullulum minus, modo paullo maius) quam diameter aut parum aut insigniter minora. Series anterior leviter procurva: marginibus superioribus oculorum lineam subrectam designantibus; oculi medii lateralibus insigniter minores, ab eis duplo fortasse longius (non totâ diametro suâ) remoti quam inter se. Area oculorum mediorum postice non duplo latior quam antice (10 aut 11 : 6), longior quam lata (circiter 13 : 11). Clypeus sub oculis mediis altitudine circiter $^3/_5$ areae oculorum mediorum aequat, rectus et paene directus est. *Mandibulae* clypeo duplo et dimidio saltem longiores, aeque fere longae atque ambae simul sumptae latae sunt, paene directae et parallelae, apice intus oblique rotundato-truncatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus quatuor sat fortibus, in margine postico granulis paucis minutis, inter se valde approximatis armatae. *Maxillae* breves, in labium leviter inclinatae, basi pro palporum insertione insigniter dilatatae; *labium* insigniter latius quam longum, basi impressum. *Sternum* aequae fere latum atque longum, laeve, margines versus indistincte reticulatum, punctis impressis parum profundis adspersum, inter coxas posticas productum et eis paullo angustius, sursum curvatum, apice transverse truncatum, margine apicali paullulum elevato. *Pedes* modice graciles, tibiarum IV. aculeus earum diametro circiter aequalis. *Abdomen* cute molli tectum, ovatum. *Epigyne* parum prominens, margine postico late rotundato, secundum totam longitudinem fissurâ ornata a basi apicem versus dilatatâ

(forma fissurae probabiliter similem in modum variat atque in *D. cristato)*, tuberculo pallide colorato repletâ; margines fissurae neque depressi, neque elevati, margo posticus epigynes obtusus.

Cephalothorax fusco-rufus, marginibus paullo obscurioribus, in occipite maculâ fuscâ, transversâ, angulatâ, cum oculorum areâ lineis tribus coniunctâ, ornatus; mandibulae cephalothorace parum pallidiores, sternum obscure fuscum. Palpi et pedes testacei, colore rufo suffusi (praesertim pedes anteriores). Abdomen fuscum.

Cephalothorax 0·9 mm. longus, ca. 0·7 latus, pedum I. femur 0·75, patella 0·26, tibia 0·62, metatarsus 0·57, tarsus 0·45, partes pedum II.: 0·7, 0·26, 0·57, 0·52, 0·40, pedum III.: 0·60, 0·23, 0·45, 0·49, 0·37, pedum IV.: 0·83, 0·26, 0·73, 0·60, 0·42 longae. Abdomen 1·3 mm. longum, 0·95 latum.

Mas.

Cephalothorax antice modice angustatus, lateribus non sinuatis, fronte aequae circiter atque $^5/_9$ cephalothoracis latâ; in cephalothorace directo desuper adspecto margo anticus eminentiâ cephalicâ occultatur, angulum formanti latum, summo apice rotundatum, cruribus paullulum excavatis; verus margo anticus, qui desuper et paullo a fronte conspicitur, parum rotundatus est et cum lateribus partis cephalicae angulos format breviter rotundatos; areae oculorum latitudo $^2/_5$ cephalothoracis aequat. Pars cephalica insigniter elevata, eminentias format duas valde inaequales; eminentia anterior tuberculum est parvum, sursum et paullo anteriora versus directum, ab eminentiâ posteriore optime distinctum, oculos anticos medios in laterum parte anteriore gerens; ab apice tuberculi huius usque ad clypei marginem paries anticus partis cephalicae rectâ fere lineâ descendit et insigniter reclinatus est. Eminentia posterior aeque circiter alta atque cephalothoracis pars media crassa est, longitudine suâ humilior et angustior, pariete antico directo, postico praerupto, pariete superiore fortiter et paullo inaequabiliter ita convexo, ut cum pariete postico in arcum aequabilem, cum pariete antico autem in angulum parum expressum confluat; desuper adspectae eminentiae latera paene recta et parallela, margo posticus rotundatus est, margo anticus angulum latum et rotundatum format; in utroque latere eminentia haec foveâ ornatur magnâ, profundâ, marginibus obtusis; oculorum mediorum posticorum, qui parti supremae laterum, parum ante medium, innati sunt, intervallum duplam et dimidiam diametrum fere aequat. Dorsi pars pone eminentiam sita paene librata, cum parte posticâ, quae modice declivis est, angulum format valde latum et rotundatum. Impressiones cephalicae non procul ab eminentiae posterioris latere postico exteriore solum expressae, sat profundae, parum definitae; in declivitate posticâ cephalothorax impressione ornatur longâ, angustâ, fere sulciformi, modice profundâ; caeterum cephalothorax impressionibus evidentioribus caret, laevis est et nitidus, in tuberculi cephalici anterioris apice et in eminentiae posterioris parte anteriore pilis ornatur modice longis, parum densis. *Oculorum* series anterior, a fronte visa, fortiter deorsum curvata, oculi laterales mediis multo maiores, ab eis circiter sescuplâ suâ diametro remoti; series posterior desuper visa, fortiter procurva. A fronte adspecti oculi antici medii parum supra mediam faciem siti videntur. *Mandibulae* parum longiores quam spatium, quo oculi antici medii a clypei margine distant, aeque fere longae atque ambae simul sumptae latae sunt, apice intus oblique rotundato-truncatae, probabiliter similem in modum atque in feminâ armatae. *Maxillae* sat fortiter in labium inclinatae, basi in latere exteriore insigniter dilatatae. *Labii* et *sterni* forma similis atque in feminâ. *Palporum* pars femoralis formâ vulgari, subcylindrata, in dimidio basali levissime attenuata et angustata et incurvata; pars patellaris circiter $2^1/_2$ longior quam apice lata, a basi ad apicem paullulum dilatata; partis tibialis corpus — praesertim in latere exteriore — valde breve; subter pars haec processu ornatur brevi, lato, apice late et paullo oblique truncato, supra autem in processum producta est magnum, dimidium apicale laminae tarsalis attingentem, in universum quadrangularem, latere interiore paullulum excavato, exteriore sinuato (apicem versus excavato), margine apicali transverso, recto, cum latere exteriore in angulum subacutum coëunti, angulo apicali interiore in spinam excurrenti gracilem, aeque circiter longam, atque processus ipse latus est, a basi foras flexum, foras et paullulum anteriora versus et deorsum directam. Lamina tarsalis apice rotundata. Bulbus genitalis processibus duobus imprimis manifestis ornatur: in parte apicali exteriore processu pallide colorato, sat gracili, anteriora versus et deorsum directo, leviter sinuato, apicem versus angustato, acuto; non procul ab apice autem, prope lineam mediam in dimidio interiori spina conspicitur obscure colorata, minor, gracilior, aequabiliter attenuata, leviter curvata, anteriora versus et paullo intus directa. *Abdomen* cute molli tectum.

Cephalothorax rufo-fuscus, parte cephalicâ, mandibulis, maxillis paullo pallidioribus; labium et sternum fuscum; pedes et palpi flavidi, colore rufo suffusi, palporum pars tarsalis et processus tibiales infuscata; abdomen fuscum.

Cephalothorax 1·0 mm. longus, 0·75 latus, pedum I. femur 0·85, patella 0·26, tibia 0·68, metatarsus 0·63, tarsus 0·47, partes pedum II. 0·81, 0.24, 0·62, 0·62, 0·45, pedum III. 0·71, 0·23, 0·50 0·55, 0·36, pedum IV. femur 0·95, patella 0·23 mm. longa (caeterae partes desunt in exemplo unico, quod vidi). Abdomen 1·0 mm. long., ca. 0·7 mm. lat.

VII. Orehovicza ♂♀.

Species 4. **Diplocephalus humilis** *(Blackwall) 1841. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 23: epigyne.

Walckenaëra humilis Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. -- Cambr. 1879. Sp. Dors. — Dahl. 1886. — Erigone humilis Thor. 1871. Rem. — Araeoncus humilis Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Tokaj, Szőllőske, Czigánd, Hoverlacsúcs, Szaláncz. — II. Almádi ♂. — III. Kecskemét ♂♀. — IV. Baziás. — VII. Buccari ♀. — VIII. Diakovár ♀.

Species 5. **Diplocephalus subelevatus** *(L. Koch).*

Tab. IV, fig. 25, *a:* epigyne, *b:* maris partes tibialis et tarsalis palpi dextri desuper visae.

Exempla pauca ♀ et ♂ legit Kulczynski in I. cacumine montis Tatrici Cserveni Vrh in limite Hungariae et Poloniae.

Species 6. **Diplocephalus Helleri** *(L. Koch) 1869. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 26, *a:* epigyne, *b:* maris partes tibialis et tarsalis palpi dextri desuper et paullo a latere interiore visae, *c:* eaedem a parte externa inferiore visae.

Erigone Helleri L. Koch 1868. Beitr. z. Kenntn. d. Arachn. Tirols, I. — Erigone tatrica Kulcz. 1882. Aran. nov. . . . Tatr. — Plaesiocraerus Helleri Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Bártfa, Tátra (tichai- és szmrecsinai völgy, Békástó).

Species 7. **Diplocephalus latifrons** *(Cambridge) 1863. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 27, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi dextri desuper visa, *c:* pars tarsalis et tibialis ab imo adspectae

Erigone latifrons Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra latifrons Cambr. 1879. Sp. Dors. — Plaesiocraerus latifrons Sim. 1884. Ar. Fr. — Lophocarenum latifrons Dahl 1886.

Ab hac specie distinguere nescimus *Diplocephalum (Plaesiocraerum) opacithoracem,* quem Cel. E. Simon secundum exempla nostra sibi a Cel. L. Beckerio communicata distinxit. Exempla nostra, quae Cel. L. Becker ad *D. opacithoracem* pertinere declaravit, lecta sunt: ad I. Tokaj et ad Czéke.

I. Varannó, Suliguli, Tátra (Javorina, Liliove, Poszredna turnja, tichai-, hlinszkai völgy, kézsmárki Zöldtó), Csorbaitó. — V. Borszék, N.-Szeben, Präsbahegy.

Species 8. **Diplocephalus picinus** *(Blackwall) 1841. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 28: epigyne.

Walckenaëra picina Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone picina Thor. 1871. Rem. — Plaesiocraerus picinus Sim. 1884. Ar. Fr. (pro parte: ♂, non ♀).

Mas huius speciei ad hoc tempus in Hungaria lectus non est.

I. Szőllőske, Szinnaikő 14. VI. 1889, Mezőlaborcz, Szalánc. — II. Zircz. — IV. Uj-Moldova. — V. Nagy-Szeben.

Genus 56. **Entelecara** *Simon 1884.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73 (ad p.). — O. Herman 1879. (ad p.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Hypselomma Dahl 1886.

Feminae.

Epigynes pars postica sulcis ornatur duobus fortiter curvatis, tubercula excidentibus duo, caeteris partibus epigynes saepe insigniter pallidiora, postice intus inter se coniuncta aut valde appropinquantia saltem, anterius autem parte epigynes inter se disiuncta, quam infra ligulam appellamus. Cephalothorax et sternum laevia aut sublaevia, nitidissima. Oculorum series anterior procurva. Pars cephalica supra partem dorsi mediam sublibratam paullo elevata.

Ligula tuberculis epigynes interiecta latior quam longa, posteriora versus angustata; sulcorum partes, quibus circumscribitur, postice modo incurvatae inter se coniunguntur, — ligula tum apice late rotundata et medio plus minusve evidenter incisa est et apicem epigynes a parte inferiore adspectae non attingit, tubercula inter se coniuncta lamellam formant semilunarem procurvam, apicibus rotundatis, — modo retro et intus directae inter se valde appropinquant quidem, non coëunt tamen, — tubercula epigynes tum postice intervallo angusto inter se disiunguntur. Epigynes pars posterior (sc. ligula et pars tuberculis occupata) sulco longitudinali plus minusve expresso ornatur (Tab. IV, fig. 30 a.). Long. ca. 1·6—2·2 mm. **1. acuminata.**

— non latior quam longa, basi plus minusve coarctata, lateribus et apice rotundata aut apice acuminata et cum tuberculis confusa. Epigynes pars posterior, ut in priore, plus minusve evidenter in longitudinem sulcata (Tab. IV, fig. 32 a.). Long. ca. 1·6—2·0 mm. **3. erythropus.**

Feminas cum maribus *E. congeneris* lectas a feminis *E. erythropodis* distinguere nescio.

Mares.

Palporum pars tibialis supra processu ornatur magno, in ramos duos, foras aut anteriora versus et foras directos, profunde diviso.

1. Pars cephalica a fronte adspecta supra oculos anticos medios in tuber elevata latius quam altum. 2

— — — — — supra oculos anticos medios in tuber elevata altius quam latum, oculos medios posticos gerens, inter eos non sulcatum, antice supra oculos medios anticos leviter in transversum impressum. Palporum pars patellaris duplo longior quam lata; tibialis eâ multo brevior, rami processus tibialis foras et anteriora versus directi, inter se paene paralleli, ambo compressi, anterior posteriore paullo longior, desuper adspectus eo paullulum tenuior videtur, levissime sinuatus, in margine superiore eo loco, ubi foras curvatur, dente minuto ornatur, apice oblique truncatus est, angulo superiore acuto (quod in palpo a parte posteriore viso conspicitur); ramus posterior latere posteriore excavato, desuper visus apice leviter recurvato, a parte posteriore visus apice late rotundatus (Tab. IV, fig. 30 b.) Long. 1·7—2·1 mm. **1. acuminata.**

2. In palpo desuper adspecto ramus posterior processus tibialis foras non longius prominet quam ramus anterior, apice rotundato truncatus est, dentem sursum prominentem non format. Pars patellaris ca. sescuplo longior quam lata. Partis tibialis forma fere eadem atque

in *E. acuminata,* pars rami anterioris anteriora versus et foras directa paene recta est, eius apex parum oblique truncatus, ramus posterior desuper adspectus apice non recurvatus (Tab. IV, fig. 31.). Long. ca. 1·5—1·8 mm. **2. congenera.**
In palpo desuper adspecto ramus posterior processus tibialis paullo longius foras prominet quam ramus anterior, apicem versus leviter sursum curvatus in dentem acutum, sursum paene directum desinit. Rami ambo foras paullo a se discendunt; anterior, margine superiore paullo reflexo, a parte interiore et posteriore adspectus apice excisus videtur, angulis prominentibus, a parte posteriore et exteriore adspectus paene transverse truncatus, angulo inferiore prominenti (quod difficilius conspicitur). Margo superior rami anterioris dente nullo ornatus (Tab. IV, fig. 32 b.). Long. ca. 1·8 mm. **3. erythropus.**

Species 1. **Entelecara acuminata** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. IV, fig. 30, *a:* epigyne paullo a parte posteriore visa, *b*: pars tibialis palpi dextri maris desuper et paullulum a parte posteriore visa.

Erigone acuminata Westr. 1861. Ar. Suec. — Erigone altifrons Thor. 1871. Rem. — O. Herm. 1879. — Walckenaëra altifrons Cambr. 1879. Sp. Dors. — Entelecara acuminata Sim. 1884. Ar. Fr. — Hypselomma altifrons Dahl 1886. (♂ saltem).

I. S.-A.-Ujhely, Tokaj, Szerencs, B.-Szögh, Őrmező, Mezőlaborcz, Sztropkó, Suliguli, Bártfa, Gáboltó, Szepsi, Alsó-Meczenzéf, Eperjes, Szulyó, Vág-Tepla, Trencsén-Teplicz. — II. Sopron, Hédervár, Várpalota, Balatonfüred, Zircz. — III. Hadház. — IV. Klopodia, Buziás, Szászkabánya, Ujmoldova, Ruszkabánya, Orsova, Herkulesfürdő. — V. Püspökfürdő. — VIII. Ruma, Diakovár.

Species 2. **Entelecara congenera** *(Cambridge) 1879. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 31: maris pars tibialis palpi dextri desuper visa.

Walckenaëra congenera Cambr. 1879. On some new Species of Araneidea (Ann. a. Mag. Nat. Hist., 5 Ser., vol. 4, N. 23.) — (Plaesiocraerus congener Sim. 1884. Ar. Fr.).

I. Korytnicza 4. VI. 86. ♂♀.

Species 3. **Entelecara erythropus** *(Westring) 1851. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 32, *a:* epigyne paullo a parte postica visa, *b:* maris pars tibialis palpi dextri desuper visa.

Erigone erythropus Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra erythropus Cambr. 1879. Sp. Dors. — Entelecara erythropus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Suliguli ♀, Tátraháza, Tátrafüred ♀, Igló ♀. — V. Tasnád ♀, Borszék ♀.

Genus 57. **Minyriolus** *Simon 1884.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad part.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Dahl 1886. (ad p.).

M. pusillus. *Feminae* cephalothorax et abdomen plus minusve obscure fusca; ille subtiliter reticulatus, sternum laeve. Dorsum cephalothoracis inter partes cephalicam et thoracicam paullulum impressum, illa non evidenter altior quam haec; margines postici oculorum posteriorum lineam designant fortiter procurvam. Epigyne foveâ ornatur mediocri, sat profundâ, modice definitâ, anteriora versus dilatatâ, antice excisâ, itaque cordiformi, in parte epigynes posticâ etiam dilatatâ et lamellâ

triangulari (quae difficilius conspicitur et formâ paullo variare videtur) repletâ (Tab. IV, fig. 33.). *Mas:* Pars patellaris palporum circiter $1^1/_2$ longior quam lata, lateribus parallelis; pars tibialis, desuper visa, basi angusta, apicem versus subito campanulato dilatata, non brevior saltem quam pars patellaris, apice in dimidio interiore processu ornata mediam laminam tarsalem non attingenti, anteriora versus et paullo foras directo, foras curvato, apicem versus fortiter angustato, apice in stylum tenuem rectum, foras fere directum, contracto, ad basim styli, supra, dente brevi forti recurvato instructo. Long. 1·1—1·4 mm.

Species 1. **Minyriolus pusillus** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. IV, fig. 33: epigyne.

Erigone pusilla Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra pusilla Cambr. 1879. Sp. Dors. — Dahl. 1886. (♂ saltem). — Minyriolus pusillus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Tokaj, Varannó.

Genus 58. **Brachycentrum** *(Dahl) 1886.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Walckenaëra Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Lophocarenum Simon 1884. (ad p.).

Feminae.

1. Sternum dense, aequabiliter, sat crasse reticulatum. Cephalothorax subtilius reticulatus, punctis impressis in lines radiantes dispositis caret; pars cephalica paene laevis; dorsum cephalothoracis a margine postico usque ad oculos medios posticos in arcum parum inaequabilem curvatum, convexum. Dorsum abdominis scuto indurato caret (?). Long. ca. 1·5 mm. (Sec. 1 exemplum nondum adultum). **5. Medusa.**
— non reticulatum aut ad margines solum reticulatum. 2
2. Dorsi cephalothoracis pars media (declivitati posticae et parti cephalicae interiecta) antice insigniter aut evidenter saltem humilior quam postice; pars cephalica supra eam subito elevata, postice valde praerupta. Abdominis dorsum scuto indurato evidentiori caret. Sternum medio laeve, lateribus punctis profundis, maiusculis, modice congestis ornatum (haec sterni sculptura paullo mutabilis videtur). Epigyne sulcis ornata duobus, anteriora versus insigniter inter se appropinquantibus, antice in foveam parum definitam abeuntibus, aream breviorem quam est lata postice includentibus (Tab. IV, fig. 34.) Long. ca. 1·8—2·3 mm. **1. elongatum.**
— — — — librata aut (saepissime) anteriora versus adscendens (pone partem cephalicam non impressa); pars cephalica postice modice declivis. 3
3. Series punctorum, quibus pars thoracica ornatur, et medium dorsum occupant, et — varium in modum divisae et pro parte interruptae — usque ad margines cephalothoracis extenduntur, e punctis magnis, profunde impressis, inter se distinctis constant. Dorsum abdominis scuto indurato manifesto caret. Sternum, parte mediâ laevi exceptâ, profunde et sat dense punctatum. Epigyne[1]) versus marginem posticum paullo adscendit, postice — in parte praeruptâ — sulcis duobus ornatur brevibus, anteriora versus inter se paullulum appropinquantibus, aream includentibus latiorem quam longam, in epigynes partem anteriorem sublibratam non productis (Tab. IV, fig. 35.). Long. ca. 1·7 mm. (Sec. 1 exempl. Polonicum). **2. parallelum.**
— — — — — — neque dorsi partem summam, neque margines attingunt. 4
4. Abdominis dorsum scuto indurato, umbilicato-punctato ornatum. Epigynes pars media, a lateralibus sulcis distincta, longior quam lata, in pariete epigynes postico, qui declivis est, leviter dilatata, inter eum et parietem sublibratum leviter constricta (Tab. IV, fig. 37 a.). Long. ca. 1·6—1·8 mm. **4. thoracatum.**

[1]) Sculptura epigynes in omnibus *Brachycentris* mihi notis, excepto *B. elongato,* difficilius perspicitur.

Abdominis dorsum scuto indurato evidentiori caret. Epigyne in parte posticâ praeruptâ sulcis duobus incurvatis ornata, aream insigniter latiorem quam longam includentibus (Tab. IV, fig. 36 a.). Pars thoracica punctis minus expressis quam in priore ornata. Long. ca. 1·6 mm. (Sec. perpauca exempla). **3. nemorale.**

Mares.

1. Tuber cephalicum inter oculos posticos medios planum aut leviter convexum. 2
— — inter oculos medios posticos sulco longitudinali ornatum. Pars thoracica sat crasse reticulata, punctis impressis in lineas radiantes dispositis, evidentioribus caret. 4
2. Pars thoracica punctis impressis distinctissimis, plus minusve in series radiantes dispositis ornata, inter ea plus minusve reticulata. 3
— — reticulata, punctis impressis evidentioribus caret. Tuber cephalicum paullo longius quam altum, desuper adspectum insigniter latius quam longum; oculi medii antici non evidenter altius siti quam dorsi pars sublibrata (cephalothoracem a latere, marginibus lateralibus libratis, adspicias!); clypeus insigniter convexus, infra insigniter reclinatus. Palporum pars patellaris duplo circiter longior quam lata; pars tibialis brevis, processibus duobus ornata, altero supra, altero in latere exteriore sito; margo apicalis inter eos leviter dilatatus; processus interior insigniter brevior quam spatium, quo ab exteriore distat, anteriora versus et foras directus, medio in latere interiore paullo coarctatus, apice oblique truncatus, angulo exteriore acuto (Tab. IV, fig. 36 b.); processus externus superiore paullo brevior, anteriora versus et paullo foras directus, sursum curvatus, apicem versus aequabiliter angustatus, acutus.[1]) Long ca. 1·5 mm. **3. nemorale.**
3. Pars cephalica tubere humili, duplo circiter longiore quam alto, ornata. Clypeus fortiter convexus. Oculi antici medii non evidenter altius siti, quam dorsi pars sublibrata. Palporum pars patellaris ca. $1^1/_2$ longior quam lata; pars tibialis brevis, margine apicali superiore in processum producto paene rectum et fere porrectum, leviter adscendentem, elongato triangularem, subacutum, lateri interiori non multo propiorem quam lateri exteriori; hoc processu incluso pars tibialis paullo longior est quam pars patellaris; desuper adspectae partis tibialis angulus apicalis exterior, obtusus, fortius prominet quam angulus interior. Long. ca. 1·5—1·7 mm. **2. parallelum.**
— — tubere alto, multo altiore quam longo instructa.[2]) Oculi antici medii multo altius siti quam pars dorsi declivitati posticae et tuberi cephalico interiecta, quae antice insigniter depressa est. Clypeus paene rectus et ad perpendiculum directus. Palporum pars patellaris ca. $2^1/_2$ longior quam lata, tibialis brevis, apicem versus dilatata, desuper adspecta margine apicali late exciso, angulo exteriore oblique truncato, angulo interiore in processum gracilem producto, parte ipsâ insigniter longiorem, anteriora versus et intus directum, prope medium subito foras et anteriora versus flexo, leviter curvato. Long. ca. 1·5—1·8 mm. **1. elongatum.**
4. Palporum pars tibialis supra in dimidio interiore processus longo, in angulo exteriore autem dente multo breviore ornata. Sternum latera versus punctis impressis dispersis ornatum, caeterum laeve. — Pars thoracica sat crasse reticulata, punctis impressis evidentioribus caret. Palporum pars patellaris ca. duplo longior quam lata; pars tibialis eâ multo brevior, desuper adspecta cum processibus eâ parum latior, angulo apicali exteriore in processum producto brevem, anteriora versus et foras directum, acutum, apice anteriora versus directo; partis tibialis margo apicalis interior in processum abit multo maiorem, aeque circiter atque pars ipsa longum, a processu exteriore sinu rotundato distinctum; processus hic desuper adspectus lamellam format aeque circiter latam atque basis partis tibialis

---

[1]) Species haec processuum tibialium formâ paullo variare videtur (Conf. figuras Cel. E. Simonis in Les Arachn. de France, V. 3, pag. 680 et Rev. O. P. Cambridgii in Ann. a. Mag. Nat. Hist. 1884. August, tab. IV, fig. 3). In exemplo unico, quod vidi, processus externus in palpo sinistro defractus est, in palpo dextro similis est atque in figurâ Rev. Cambridgii (fortius curvatus quidem, quod tamen in palpo desuper adspecto non conspicitur); processus superior similis est atque in „*Walckenaëra nemoralioide*“ Cambr. (Cfr. figuram 2 e, loc. cit.), minus gracilis, latius oblique truncatus, non ita sinuatus, atque eum Cel. E. Simon delineavit.

[2]) Tuber cephalicum plerumque erectum est, desuper adspectum non latius quam longum videtur, oculi medii postici inter se circiter sescuplâ diametro suâ distant. Non raro tamen exempla occurrunt tubere eo *plus minusve* reclinato, adeo nonnunquam, ut eius paries posticus dorso adpressus sit; tuber tum plerumque paullo latius quam longum videtur (quum desuper et a parte posticâ adspicitur); oculi medii postici situ paullo variant. Caeterum exempla talia, quae in Poloniâ pluries cum exemplis tubere cephalico erecto legi, nullâ re ab eis differunt. — Ad Buccari lectum est exemplum simile, tubere insigniter latiore quam longo, intervallo oculorum mediorum posticorum duplam eorum diametrum superanti. An *Brachycentrum (Lophocarenum) insanum* E Sim.?

rectam, margine exteriore (superiore) carinam acutam formanti, in angulum acutum desinenti, apice oblique truncatam (aut levissime excavatam), angulo inferiore obtuso (aut paullulum prominenti) (Tab. IV, fig. 37 b.). Long. ca. 1·4 mm. **4. thoracatum.**
Palporum pars tibialis supra ad angulum interiorem dente breviori, in latere exteriore autem processu multo longiore instructa. Sternum dense aequabiliter sat crasse reticulatum. — Pars patellaris palporum duplo circiter longior quam lata; pars tibialis supra eâ duplo fere brevior, cum processibus eâ fortasse sescuplo latior, margine apicali superiore interiore in dentem latum triangularem, laminae tarsali adpressum, producto; in latere exteriore autem pars haec processu ornatur aeque saltem atque pars ipsa longo, fere anteriora versus directo, apicem versus sursum et interiora versus curvato, in latere exteriore paullo convexo, in interiore excavato, itaque supra in carinam compresso, quae carina ad curvaturam processus in dentem elevata est latum, acutum, sursum directum; a dente hoc processus fortiter attenuatus, in aculeum acutum, nigricantem, leviter curvatum, desinit (Tab. IV, fig. 38.). Long. ca. 1·5 mm. **5. Medusa.**

Species 1. **Brachycentrum elongatum** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. IV, fig. 34: epigyne.

Erigone elongata Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Lophocarenum elongatum Sim. 1884. Ar. Fr. — Brachycentrum elongatum Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Tolcsva, Varannó, Sztropkó ♀, Stoósz 8. VI. ♀, Csorbaitó 23. VIII. 89. ♀, Dobsina, Tátra (Kriván). — II. Soóly, Zirc 2. VI. 86, Kám ♂♀. — III. Kalocsa. — IV. Zlaticza, Baziás ♀. — V. Borszék, Lotrioravölgy 7. IV. 89. ♀, Nagy-Szeben ♀. — VI. Fiume ♀. — VII. Buccari ♂♀ (♂ similis *Lophocareno insano* Sim., an monstrum?).

Species 2. **Brachycentrum parallelum** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. IV, fig. 35: epigyne.

Walckenaëra parallela Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone parallela Thor. 1871—73. — Rem. — Lophocarenum parallelum Sim. 1884. Ar. Fr. — Paractenonyx parallelus Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, B.-Szerdahely ♂, Lelesz ♀, Varannó. — VI. Fiume.

Species 3. **Brachycentrum nemorale** *(Blackwall) 1841. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 36, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi dextri desuper et a latere interiore visa.

Walckenaëra nemoralis Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone nemoralis Thor. 1873. Rem. — Lophocarenum nemorale Sim. 1884. Ar. Fr.

V. Nagy-Szeben ♂♀.

Species 4. **Brachycentrum thoracatum** *(Cambridge) 1875. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 37, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi dextri desuper et paullo a latere interiore visa.

Lophocarenum thoracatum Sim. 1884. Ar. Fr.

IV. Zlaticza (legit Dr. G. Horváth).

Species 5. **Brachycentrum Medusa** *(Simon) 1882. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 38: maris pars tibialis palpi sinistri a latere exteriore visa.

Lophocarenum Medusa Sim. 1884. Ar. Fr.

VII. Buccari (legit Prof. Damin) 14. IX. ♂, ♀.

Genus 59. **Trichopterna**[1] *novum genus Kulczyński.*

Lophocarenum Simon 1884. (ad part.).

T. Blackwallii. *Femina:* Pars cephalica subtilissime reticulata, striis radiantibus impresso punctatis caret; sternum paene laeve (punctis piligeris minutis dispersis ornatum). Dorsi cephalothoracis pars media sublibrata, pars cephalica supra eam paullo elevata, postice modice declivis, anterius sublibrata. Cutis in parte anteriore dorsi abdominis non evidenter indurata, sculpturâ a caeteris abdominis partibus non distincta. Epigyne sulcis duobus e margine postico exeuntibus, anteriora versus inter se paullo appropinquantibus et saepe paullo dilatatis ornata; area sulcis his inclusa aeque circiter longa atque postice lata, subplana (antice nonnunquam sulco parum expresso in angulum fracto, apice retro directo, limitata, et sulco longitudinali perparum profundo ornata) (Tab. IV, fig. 39). Long. ca. 1·5—1·8 mm. — *Mas:* Tuber cephalicum altius quam longum, desuper adspectum non latius quam longum; oculi antici medii multo altius siti quam dorsi cephalothoracis pars sublibrata (cephalothoracem — marginibus lateralibus libratis — a latere adspicias!). Clypeus paene rectus et ad perpendiculum directus. Pars thoracica reticulata, punctis impressis evidentioribus caret. Palporum pars patellaris ca. duplo longior quam lata; tibialis brevis, margine apicali superiore processibus ornato duobus porrectis, apice paullo foras curvatis, acutis, gracilibus, altero in angulo interiere, altero in exteriore sito, hoc aeque circiter atque pars ipsa longo, illo eâ multo longiore et multo longiore quam sinus, quo a processu exteriore distat; margo apicalis inter processus ambos nusquam productus. Long. ca. 1·3—1·5 mm.

Species 1. **Trichopterna Blackwallii** *(Cambridge) 1872. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 39: epigyne.

Lophocarenum Blackwalli Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Lelesz ♀ (?). — V. Érmihályfalva ♂♀ (♂ paullulum discrepat a descriptione Cel. Simonis). — VII. Buccari ♀ (?).

Genus 60. **Cnephalocotes** *(Simon) 1884. (pro parte).*

Feminae.

Cn. interiectus. Cephalothorax laevis, nitidus, parte thoracicâ punctis impressis in lineas radiantes dispositis ornatâ. Pars cephalica modice in longitudinem convexa, paullo altior quam angulus, in quem coëunt: dorsi pars anterior et declivitas postica. Oculorum series posterior modice procurva, oculi medii a lateralibus longius quam inter se remoti (intervalla variabilia videntur: medium radio modo non, modo evidenter maius, lateralia diametro oculorum mediorum modo parum, modo evidenter minora); series anterior paullo procurva, marginibus superioribus oculorum lineam paene rectam (levissime deorsum curvatam) designantibus, oculi medii lateralibus minores, intervalla subaequalia. Sternum punctis piligeris impressis, parvis, dispersis exceptis, laeve nitidum. Epigyne foveâ ornatur mediocri, rotundatâ, profundâ, cuius dimidium posterius lamellâ obtegitur pellucidâ, testaceâ, transversâ, margine antico medio plerumque paullulum exciso, plerumque sulco mediano obsoleto ornatâ; pone hanc lamellam lamella alia iacet, paene semicircularis aut rectangula angulis rotundatis, in pariete epigynes postico sita (Tab. IV, fig. 40 a.). Long. ca. 1·6—2·0 mm.

---

[1]) θρίξ, πτέρνα. — *Trichopternas Brachycentra (Lophocarena* E. Sim.) appellamus ea, quorum metatarsus IV. pilo „acustico" ornatur.

Cn. silus — differt a praecedenti — secund. Cel. E. Simonem — cephalothorace margines versus subtiliter reticulato, supra laevi, oculorum posteriorum intervallis diametro duplo fere maioribus, epigynes areâ magnâ, laevi, antice convexâ, postice paullo depressâ et attenuatâ, truncatâ, ad marginem posticum foveolâ ornatâ transversâ et tubercula duo parva includenti. Long. 1·5 mm.

Mares.

Clypeus, in tuber elevatus transversum, in cephalothorace desuper adspecto insigniter ultra oculos anticos medios prominet. Dorsum cephalothoracis insigniter inaequale: ab oculis posticis mediis posteriora versus primo descendit, tum sublibratum est, declivitas postica insigniter in longitudinem excavata.[1]) Foveae ad oculos posticos laterales nullae. Abdominis dorsum scuto duriusculo tectum. Palporum pars patellaris ca. $1^1/_2$ longior quam lata; pars tibialis eâ vix longior, in latere exteriore fortiter dilatata, supra in dimidio apicali exteriore insigniter excisa, ita, ut desuper adspectae latus exterius dentem formet crassum, apice obtusum, foras directum, margo apicalis autem prope medium in dentem productus sit latum, brevem, foras et anteriora versus directum, acutum. Lamina tarsalis basi, in dimidio exteriore, impressione ornata, caeterum formâ ordinaria (Tab. IV, fig. 41.). Bulbus genitalis prope basim mediam calcari robusto, recto, retro fere directo instructus, ad medium latus exterius setâ ornatus longâ valde, basi et apice solum cum caeteris bulbi partibus contingenti, a basi deorsum directâ, versus latus interius et denique versus bulbi apicem curvatâ; intra hanc setam bulbus processu ornatur crassiore, breviore, similem in modum curvato (Tab. IV, fig. 41 b.). Long. ca. 1·4 mm. (Sec. 2 exempla). **2. silus.**

— paene rectus (paullulum convexus) et fere directus, in cephalothorace desuper adspecto parum ultra oculos anticos medios prominet. Dorsum cephalothoracis pone oculos medios posticos sublibratum, in parte cephalicâ postremâ paullo depressum; declivitas postica subrecta. Pars cephalica ad marginem posticum interiorem oculorum lateralium posticorum foveolâ profundâ ornata, saepe in sulcum sublibratum retro productâ.[2]) Abdomen cute molli tectum. Palporum pars patellaris parum longior quam lata; pars tibialis aequali fere longitudine, latior quam longa, a basi in latere utroque fortiter, rotundato dilatata, apice supra late truncata, angulo interiore paullulum prominenti, ad angulum exteriorem unco ornata nigro, brevi (longitudine circiter dimidiam partis ipsius latitudinem aequanti), gracili, acuto, a basi fere intus curvato, apice anteriora versus flexo, (in margine antico infra, non procul a basi, uncus hic denticulo minuto ornatur, qui difficilius conspicitur). Lamina tarsalis prope marginem interiorem carinâ ornatur acutissimâ, usque ad mediam laminam fere productâ, antice foras flexâ; pars laminae magna, carinae huic et margini exteriori interiecta, inaequabiliter excavata est, glabra, non procul a carinâ commemoratâ carinulâ aliâ ei subparallelâ, breviore et minus elevatâ ornatur (Tab. IV, fig. 40 b.). Bulbus genitalis in parte posticâ calcari parum prominenti, prope medium marginem exteriorem setâ longissimâ, simili atque in priore, ornatur; apici multo propius processus alter invenitur, setae huic subparallelus, brevior, paullo crassior; intra membranam, quae cum basi huius processus contingit et bulbi partem anticam exteriorem format, bulbus aculeo nigro, porrecto, gracili, ornatur (Tab. IV, fig. 40 c.). Long. ca. 1·5 mm. **1. interiectus.**

Species 1. **Cnephalocotes interiectus** *(Cambridge) 1888. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 40 *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis et basis laminae tarsalis palpi dextri desuper visae, *c:* pars tarsalis palpi sinistri.

Walckenaëra interiecta Cambr. 1888. On Walckenaëra interiecta, a new Spider from Hoddesdon (Transact. of the Hertfordshire Natur. Hist. Society, Vol. V., p. 1.). — Id. 1889. On new a. rare British Spiders (Proceed. Dorset Natur. Hist. a. Antiquar. Field club, Vol. X.).

I. Czigánd.

---

[1]) *Microneta pusilla* Menge, quam Cel. E. Simon pro synonymo huius speciei habet, — „cephalothorace leviter convexo, pone medium altissimo", parte cephalicâ (secundum figuram in *Preussische Spinnen)* non elevatâ, — certo alia est species.

[2]) Variare haec species paullo videtur partis cephalicae et fovearum ad oculos posticos laterales sitarum formâ; fortasse non species propria est, sed forma modo *Cn. elegantis* (Cambr.), capite minus elevato?

Species 2. **Cnephalocotes silus** *(Cambridge) 1872. „Erigone (Neriene)".*

Tab. IV, fig. 41, *a:* maris pars tibialis et basis laminae tarsalis palpi sinistri desuper visae (*p:* paracymbium), *b:* palpi dextri partes tarsalis et tibialis ab imo visae.

Erigone sila Cambr. 1872. Descriptions of Twenty-four new Species of Erigone (Proc. Zool. Soc. 1872., No. XLVIII.). — Cnephalocotes pusillus Sim. 1884. Ar. Fr.

VII. Fiume.

Genus 61. **Abacoproeces** *Simon 1884.*

A. ascitus. *Mas:* Area oculorum mediorum multo longior quam lata. Palporum pars tibialis apicem versus modice dilatata, apice in dimidio interiori in dentem latum obtusum producta, cum eo paullo longior quam pars patellaris. Pedum anteriorum femora et tibiae infuscata. Long. ca. 2 mm.

Femina ignota.

Species 1. **Abacoproeces (?) ascitus** *nova species Kulczyński.*

Tab. IV, fig. 42, *a*: maris pars tibialis et tarsalis palpi dextri a latere interiore visae, *b*: pars tibialis desuper visa (*p:* paracymbium), *c:* pars cephalica a fronte, *d:* eadem a latere visa.

Mas.

Cephalothorax antice fortiter angustatus, lateribus non sinuatis, fronte rotundatâ, cum lateribus partis cephalicae angulos nullos evidentiores formanti; area oculorum triplo fere angustior quam cephalothorax; desuper adspecti oculi antici ad ipsum marginem cephalothoracis siti videntur. Pars cephalica antice insigniter elevata tuber format erectum, paullo humilius quam pars cephalothoracis media crassa est, supra oculos medios posticos gerens, supra convexum, latere postico praerupto, sinuato: supra convexo, infra in dorsi partem mediam lineâ excavatâ abeunti; antice, inter oculos medios posticos et medios anticos, qui insigniter altius siti sunt, quam dorsi pars media, tuber modice excavatum est; pars eius summa, desuper visa, parum longior quam lata, rotundata, aeque circiter lata atque spatium longum est, quo oculi antici laterales inter se distant; pars haec infra in utroque latere, ad marginem posticum superiorem oculi medii postici, foveâ ornatur mediocri, oblongâ, posteriora versus paullo descendenti. Clypeus in longitudinem sat fortiter excavatus, in universum ad perpendiculum directus. Facies a fronte visa — tuberis parte superiore angustatâ exceptâ — campanulata: genis sub oculis lateralibus convexis, inferius fortiter declivibus. Dorsi pars media in universum librata, leviter in longitudinem excavata, cum parte posticâ, quae modice declivis et in longitudinem paullulum excavata est, in angulum latum et rotundatum quidem, manifestum tamen coniuncta. Impressiones cephalicae (quibus pars cephalica elevata in lateribus limitatur) posterius solum expressae et profundae; fovea ordinaria in declivitate posticâ sita oblonga, parum definita; impressiones radiantes partis thoracicae satis expressae, sulcos latiusculos formant; pars thoracica margines versus subtilissime et parum aequabiliter reticulata, medio autem fere omnino laevis. *Oculorum* series posterior desuper visa insigniter procurva: margines antici mediorum cum marginibus posticis lateralium lineam subrectam designant; oculi medii inter se circiter diametro suâ saltem, a lateralibus insigniter longius distant; series anterior modice procurva, oculi medii lateralibus insigniter minores, ab eis non multo longius quam inter se remoti (intervalla omnia diametro mediorum minora); oculi laterales tuberculis sat prominentibus innati. Area oculorum mediorum multo (fere sescuplo) longior quam lata postice, ubi circiter sescuplo latior est quam antice. A fronte adspecti oculi antici medii fere duplo longius distare videntur a clypei margine quam a vertice. *Mandibulae* clypeo paullo breviores, paullo reclinatae, debiles (ambae simul sumptae parum latiores quam oculorum area), apice intus rotundatae. *Maxillae* insigniter in labium inclinatae, in latere exteriore pro palporum insertione fortiter ita dilatatae, ut multo latiores sint quam longae et palpos in margine antico ad angulum exteriorem gerant. *Labium* valde breve, multo latius quam longum, margine apicali paene recto, basi impressum. *Sternum* parum longius quam latum, laeve, postice inter coxas IV. productum et non multo angustius quam coxae III., sursum curvatum, apice transverse truncatum, summo margine leviter elevato. *Palporum*

pars femoralis formâ vulgari; pars patellaris sescuplo longior quam lata, lateribus paene parallelis, pars tibialis supra (processu incluso) paullo longior quam dorsum partis patellaris, apicem versus modice dilatata, fortiter incrassata, subter fortiter convexa, dorso paene recto, supra insigniter longior quam subter, latere exteriore quam interius longiore, margine apicali superiore paullo supra basim laminae tarsalis producto et ita exciso, ut dimidium interius dentem formet aeque saltem latum atque longum, paullo obliquum (anteriora versus et paullo foras directum), obtusum; apex dentis huius paullulum deflexus est. Lamina tarsalis aeque longa atque pars femoralis; circiter sescuplo longior quam lata, a basi apicem versus leviter angustata, apice late rotundata, eminentiis et impressionibus insolitis caret; paracymbium parvum simplex falcatum. Bulbus genitalis simplex, paullulum ultra apicem laminae tarsalis — in latere exteriore — prominens; partem hanc prominentem lamella format subpellucida, oblonga, paullo oblique posita, basi cum dimidio apicali marginis exterioris laminae tarsalis contingens, anteriora versus et paullo deorsum et intus directa, apice subtilissime denticulata; hac lamellâ, in palpo a latere exteriore adspecto, pro parte processus duo cornei occultantur, qui a latere interiore sub lente satis acutâ facile conspiciuntur: eorum alter longior, gracilis, basi niger, apicem versus pallidior, non procul a bulbo medio innatus videtur, a basi deorsum et anteriora versus directus (pars haec in figurâ nostrâ 42 *a* non conspicitur), tum anteriora versus et paullo sursum flexus, denique leviter sinuatus, apicem lamellae commemoratae fere attingit (processus hic certo embolus est); alter processus niger, crassior, acutus, sub apice laminae tarsalis emergens, deorsum directus, anteriora versus curvatus, apicem format trabeculae, in apice bulbi profundius et oblique positae, contortae, corneae, cuius apex alter fusco-flavidus, obtusus, ad marginem interiorem bulbi genitalis, prope eius medium, difficilius conspicitur. *Pedes* modice graciles; pili „acustici" metatarsorum anteriorum circiter in $^2/_3$ longitudinis siti; aculeus tibiae IV. aeque circiter longus atque eius diameter. *Abdomen* paene ellipticum, dorso modice deplanato, cute molli tectum.

Cephalothorax obscure fuscus, marginem posticum versus pallidior, rufo-fuscus, in occipite vittâ parum expressâ obscuriore notatus; mandibulae cephalothorace paullo pallidiores, praesertim apicem versus; maxillae pallide fuscae, apice albidae; labium basi nigro-fuscum, margine apicali albido; sternum nigro-fuscum. Palpi flavidi, partibus tibiali et tarsali infuscatis; pedes rufo-flavidi, femoribus et tibiis pedum I. et II. fortiter infuscatis. Abdomen supra nigrum, subter paullo pallidius; epigastrium flavum et flavo-fuscum, scuta pulmonalia fusco-flava.

Cephalothorax 0·85 mm. longus, 0·75 latus, pedum I. femur 0·68, patella 0·24, tibia 0·62, metatarsus 0·54, tarsus 0·34, partes pedum II.: 0·65, 0·24, 0·55, 0·54, 0·32, pedum III.: 0·54, 0·23, 0·44, 0·47, 0·29, pedum IV.: 0·72, 0·23, 0·68, 0·62, 0·34 longae. Abdomen 1·2 mm. longum, 0·9 latum.

Species haec, cuius feminam non novimus, *Abacoproecae saltuum* non dissimilis, fortasse — imo probabiliter — alii cuidam sectioni adscribenda est; ab *A. saltuum* differt, praeter alias res, pilis „acusticis" metatarsorum anteriorum ab apice insigniter remotis, neque — ut in illo — apici proximis.

IV. Temesvár 19. IV. 92. ♂ et iuv.

Genus 62. **Acartauchenius** *(Simon) 1884. (pro parte).*

A. scurrilis. *Mas:* Tuber cephalicum erectum, a latere visum aeque circiter altum atque longum, antice et postice fortiter declive, apice sat late rotundatum, a fronte adspectum latius quam altum, apicem versus aequabiliter et fortiter angustatum, apice rotundatum; antice inter oculos medios et supra tuber breviter pilosum est, postice prope apicem pilis paucis longis decumbentibus ornatur. Oculi antici medii, inter se proximi, cum mediis posticis, qui insigniter sub apice tuberis, in eius lateribus iacent, triangulum formant fere aequilaterum.[1]) Clypeus inter oculos anticos medios et marginem levissime convexus. Cephalothorax et sternum laevia nitida. Palporum pars patellaris circiter 3-plo longior quam lata, apicem versus leviter dilatata; pars tibialis (processibus inclusis) longitudine circiter $^2/_3$ partis patellaris aequans, a basi apicem versus sat fortiter dilatata, margine apicali superiore paullo supra basim laminae tarsalis prominenti et in dentes tres exciso; dens externus caeteris longior, sat gracilis, summo apice obtuso, pallide coloratus; dens medius utrimque

[1]) Oculi medii postici inter se multo longius distant, quam in figura 629 in „Les Arachnides de France" delineatum est.

sinu rotundato limitatus, brevis, latus, nigricans, apice non rotundato; dens internus etiam brevis, latus, paullo obliquus (paullo foras directus) (Tab. IV, fig. 43.). Color exempli unici, quod vidi, pallidus. — Long. 1·6 mm.

Femina pallide colorata, parte cephalicâ latâ, convexâ, oculis parvis, anticis lateralibus a mediis quadruplâ saltem diametro remotis, oculis posticis lineam fortiter procurvam designantibus, inter se late et spatiis subaequalibus distantibus. Epigyne antice maculis duabus fusco-rufis, rotundatis, postice area triangulari, multo latiore quam longâ, rufescenti, laevi, ornata. Long. 1·5 mm. (Sec. Cel. E. Simonem).

Species 1. **Acartauchenius scurrilis** *(Cambridge) 1872. „Erigone (Walckenaëra)".*

Tab. IV, fig. 43: maris pars tibialis palpi dextri.

Erigone scurrilis Cambr. 1872. Descript. of Twenty-four new Species of Erigone. — Acartauchenius scurrilis Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely (unicus ♂).

Genus 63. **Mecynargus**[1] *novum genus Kulczyński.*

Acartauchenius Simon 1884. (ad part.).

M. longus. *Femina.* Cephalothorax et sternum subtiliter reticulata. Dorsum cephalothoracis a margine postico usque fere ad oculos medios posticos lineâ parum inaequali leviter adscendens. Oculorum series posterior paullulum procurva. Epigynes pars posterior sulcis duobus ornata e margine postico exeuntibus, anteriora versus paullo inter se appropinquantibus, antice in foveolas minutas dilatatis, circiter aeque longis, atque spatium latum est, quo inter se distant; areola sulcis his inclusa, plerumque paullo pallidior quam partes laterales, sulco tertio ornatur, paullo ante medium sito, plus minusve procurvo, nonnunquam multo minus quam sulci longitudinales expresso (Tab. IV, fig. 44 a.). Long. ca. 2·4—2·7 mm.

Mas. Cephalothorax et sternum subtilissime reticulata, nitida. Tuber cephalicum hirsutum, erectum, a latere visum paullo humilius quam longum, antice paullo fortius declive quam postice, facies a tuberis apice usque ad clypei marginem lineâ fere rectâ (paullulum convexâ) descendens; a fronte adspectae faciei pars supra oculos anticos medios sita duplo circiter latior quam alta; a clypeo usque ad oculos laterales facies leviter angustata est, supra hos oculos in angulum recto multo maiorem, inaequalem, truncata. Oculi medii postici, in tubere cephalico supra siti, inter se aeque fere remoti atque ab oculis anticis mediis, qui parvi et inter se approximati sunt. Palporum pars patellaris ca. duplo et dimidio longior quam lata; pars tibialis fere $^2/_3$ partis patellaris longitudine aequans, in latere exteriore paullo gibberosa, apice supra in dimidio interiore paullulum supra basim laminae tarsalis producta et dentem latum (formâ paullo variantem, saepe in angulo exteriore denticulo minuto uno aut duobus ornatum) formanti, in latere exteriore apicem versus impressa et in impressione aculeo brevi, anteriora versus et paullo foras directo, ornata (Tab. IV, fig. 44 b.). Abdomen plerumque plus duplo longius quam latum. Long. 2·7—3·0 mm.

Species 1. **Mecynargus longus** *(Kulczyński) 1882. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 44, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi dextri desuper et paullo a latere interiore visa.

Erigone longa Kulcz. 1882. Aran. nov. in mont. Tatricis . . . — (Acartauchenius longus Sim. 1884. Ar. Fr.).

I. Tátra (Jegestórét, Svisztovai völgy).

---

[1]) μηκύνω, Ἄργος — (Argus Walckenaër). *Mecynargus* ab *Acartauchenio,* genere mihi non satis noto, metatarsis IV. „pilo acustico" instructis praesertim differre videtur.

Genus 64. **Pocadicnemis** *Simon 1884.*

Walckenaëra Blackwall 1864. (ad part.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Erigone Thorell 1870—73. (ad p.).

P. pumila. *Femina.* Cephalothorax admodum subtiliter reticulatus, nitidus, sternum laeve. Pars cephalica leviter in longitudinem convexa, paullo altior quam pars thoracica, ab eâ depressione levi distincta. Oculorum series posterior insigniter procurva; oculi antici inter se spatiis parum inaequalibus remoti. Epigyne (cuius forma difficilius perspicitur et paullo mutabilis est) aream occupat transversam, paene ellipticam, corneam, antice et in lateribus parum definitam, fissuris ornatur duabus, longitudinalibus, inter se crassitudine tibiarum IV. saltem remotis, in pariete epigynes postico inter se paullo appropinquantibus; spatium fissuris his interiectum saepe paullo inaequale; anterius in carinam longitudinalem latam diffusam elevatum, partibus quibusdam profundius sitis, translucentibus, saepe ita pictum, ut partes laterales maculas forment pallidas, postice rotundatas, inter se septo obscuriore, latiusculo, postice subito dilatato, distinctas; antice spatium hoc sulcò limitatur minus definito, transverso, leviter recurvo, medio saeqe leviter infracto; qui sulcus paullo ante apices fissurarum commemoratarum iacet et in utroque latere recurvatus modo partes anteriores fissurarum amplectitur, modo cum eis plus minusve confunditur (Tab. IV, fig. 45.). Long. ca. 1·8—2·1 mm.

Mas. Tuber cephalicum duplo fere longius quam altum, longius quam latum. Clypeus paene rectus, leviter proiectus. Palporum pars patellaris circiter $1^1/_2$ longior quam lata; pars tibialis in latere interiore paullo longior, in exteriore brevior quam pars patellaris, apicem versus non dilatata, in dimidio apicali lateris exterioris excavata, angulo apicali superiore exteriore dente acuto, oblique anteriora versus directo, ornato, in latere interiore superiore in processum lamelliformem producta fere porrectum, aeque circiter longum atque latum, apice paullo oblique truncatum (angulo superiore magis acuto). Lamina tarsalis desuper adspecta basi angusta, apicem versus insigniter dilatata, paene triangularis, apice recte truncata videtur, reverâ apice profunde excisa est, angulo interiore insigniter producto; lamina haec carinâ ornatur optime expressâ, in basi laminae dentem rectum fere formanti, foras arcuatâ, usque ad angulum laminae apicalem exteriorem pertinenti; laminae pars carinae huic et margini exteriori interiecta excavata, glabra, paullo inaequalis. Bulbus genitalis stylo longissimo instructus, prope angulum apicalem interiorem innato (*e* in figura), secundum bulbi marginem curvato, eius basim fere attingenti, tum apicem versus curvato (in palpo a latere adspecto pars haec inter basim et apicem bulbi sita, a caeteris bulbi partibus distans, plerumque sola conspicitur) (Tab. V, fig. 1.). Long. ca. 1·7 mm.

Species 1. **Pocadicnemis pumila** *(Blackwall) 1841. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 44: epigyne. Tab. V, fig. 1: maris partes tibialis et tarsalis palpi dextri a latere interiore visae (embolus paullo distortus).

Walckenaëra pumila Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone pumila Thor. 1873. Rem. — Pocadicnemis pumila Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Varannó.

Genus 65. **Nematogmus** *(Simon) 1884.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Walckenaëra Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Cnephalocotes Simon 1884. (ad p.). — Eustichothrix Dahl 1886. (ad p.).

Feminae.

Cephalothorax laete flavido-rufus, ut sternum subtilissime reticulatus, nitidus; abdomen pallidius aut obscurius incarnatum, subter plerumque obscurius quam supra. Epigynes area ante marginem posticum impressione transversâ parum definitâ ornata, fissuris nullis divisa, margine postico plus minusve elevato, medio sinu lato exciso, utrimque tuberculum nitidum transversum formanti (Tab. IV, fig. 46.). Long. ca. 2 mm. **1. sanguinolentus.**

Cephalothorax et abdomen nigra aut fusco-nigra; pars thoracica crasse reticulata, subopaca, pars cephalica subtilius reticulata, nitida; sternum dense rugosum, subopacum. Epigynes pars postica foveâ ornatur transversâ, parum profundâ, postice utrimque margine elevato limitatâ, margine antico in aliis exemplis distincto, in aliis valde indistincto (epigyne tum subplana dici potest, margine postico elevato, medio interrupto); postice in medio fovea aperta est, in parte hac foveola utrimque conspicitur minuta, a qua initium capit sulcus leviter procurvus, partem marginis elevatam postice cingens, in epigynes pariete postico situs (Tab. IV, fig. 47.). Long. 1·4—1·7 mm. (Sec. pauca exempla Polonica). **2. obscurus.**

Mares.

Color idem atque feminarum. Pars cephalica in latere utroque ad oculos laterales posticos impressa. Embolus longissimus, tenuis, lateri exteriori bulbi innatus.

Dorsum cephalothoracis a margine postico usque ad oculos posticos medios lineâ subrectâ adscendens. Pars patellaris palporum ca. sescuplo longior quam lata; tibialis in latere interiore aeque fere atque patellaris longa, dorso in dentem nullum elevato, desuper adspecta apice oblique ita excisa videtur, ut ad angulum exteriorem dente ornetur brevi, nigro, porrecto; reverâ margo apicalis exterior dentibus duobus ornatur brevibus, superiore late triangulari, nigro, subacuto, et inferiore obtuso, parti tarsali magis adpresso (Tab. V, fig. 2.). Carina, quâ lamina tarsalis supra ornatur, in tuberculum abit longius quam basi latum, apice subacutum, ab apice laminae (in palpo a latere adspecto) sinu acutangulo distinctum, anteriora versus aeque circiter longe atque apex laminae productum. Long. ca. 2 mm. (Sec. 1 exemplum a Cel. Dre Bertkau communicatum). **sanguinolentus.**

Dorsi pars media sublibrata (anteriora versus paullo adscendens) et a declivitate posticâ et a tubere, quo pars cephalica ornatur, bene distincta. Palporum pars patellaris paullo longior quam lata. Pars tibialis latere interiore aeque atque pars patellaris longo, in dorso dente brevi erecto ornata, margine apicali superiore dentibus duobus parvis ornato, altero ad angulum interiorem sito, quam pars ipsa non obscurius colorato, apice oblique truncato aut leviter foras curvato, altero versus medium marginem sito, breviore, nigro, acuto, triangulari (Tab. V, fig. 3 a, b.). Tuber, in quod abit carina laminae tarsalis, latius quam altum, obtusum, ab apice laminae sinu lato, rotundato, distinctum (in palpo a latere adspecto). Long. ca. 1·6 mm. (Sec. perpauca exempla). **obscurus.**

Species 1. **Nematogmus sanguinolentus** *(Waclkenaër) 1841. „Theridium".*

Tab. IV, fig. 46: epigyne. Tab. V, fig. 2: maris pars tibialis (et basis partis tarsalis) palpi dextri a latere exteriore visa (*p:* paracymbium).

Nematogmus sanguinolentus Sim. 1884. Ar. Fr. — Eustichothrix sanguinolenta Dahl 1886.

III. Szeged. — IV. Rékás, Duplaj, Baziás, Langenfeld, Orsova (Allion 20. VII. ♀). — V. Tasnád, N.-Ajta (mense Augusto, juv.). — VII. Buccari, Vratnik 30. VII. ♀. — VIII. Ottocac 18. VII. ♀, Lipik, A.-Stenyevac ♀, Diakovár ♀, Pazua sztara ♀.

Species 2. **Nematogmus obscurus** *(Blackwall) 1834. „Walckenaëra".*

Tab. IV, fig. 47: epigyne. Tab. V, fig. 3 *a:* maris pars tibialis (et basis partis tarsalis) palpi dextri a latere exteriore visa, *b:* eadem desuper visa.

Erigone impolita Westr. 1861. Ar. Suec. — Walckenaëra obscura Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone obscura Thor. 1871. Rem. — Cnephalocotes obscurus Sim. 1884. Ar. Fr. — Eustichotrix obscura Dahl 1886.

I. Torna.

Genus 66. **Troxochrus** *(Simon) 1884. (pro parte).*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Walckenaëra Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.).

Tr. scabriculus. *Femina:* Cephalothorax crasse reticulatus, parum nitens; dorsum a margine postico usque ad oculos in arcum parum inaequabilem curvatum; oculorum series posterior leviter procurva; in cephalothorace desuper et a parte posteriore adspecto area oculorum paene recta videtur. Epigynes pars postica lamellam format sulcis optime circumscriptam, circiter triplo latiorem quam longam, aeque circiter latam atque coxae IV. latae sunt, corneam, leviter procurvam, margine antico fortius quam posticus procurvo et medio nonnunquam in dentem brevem producto, lateribus rotundatis; pars anterior, sulco minus expresso (praesertim in lateribus) circumscripta, areolam format quam lamella postica pallidius coloratam, angustiorem, longiorem, latiorem quam longam, antice et in lateribus rotundatam, inaequalem; postice areola haec a lamellâ posticâ utrimque limite distinguitur angusto, intus et retro directo; inter partes has quatuor (sc. areolam anticam, lamellam posticam, limites laterales) epigyne in foveam impressa est sat profundam, parum definitam formâ paullo variantem (Tab. IV, fig. 48.). (Tota haec epigynes sculptura, praesertim propter pilos sat longos, difficilius perspicitur). Long. ca. 1·6—1·8 mm. — *Maris* pars cephalica, paullo elevata, tuber distinctum non format, ita ut dorsum cephalothoracis a margine postico usque ad capitis partem summam lineâ parum curvatâ adscendat; oculi postici medii ad marginem anticum partis elevatae siti, inter se approximati: spatio quam diameter non aut non multo maiore remoti; area oculorum mediorum paullulum in longitudinem convexa, pilosa, nusquam evidentius impressa. Palporum pars patellaris ca. duplo longior quam lata; pars tibialis supra — processu, in quem producta est, incluso — eâ parum longior, margine apicali desuper adspecto supra laminam tarsalem paullo producto, in angulum latum, apice rotundatum fracto; reverâ apex anguli huius deorsum flexus dentem brevem format; margo apicalis interior partis tibialis dilatatus, obliquus (anteriora versus adscendens) a dente eo incisurâ parva distinctus, supra dentem alium subrectangulum format, quem in palpo a latere interiore adspecto non difficile conspicies (Tab. V, fig. 4.). Long. ca. 1·6—1·8 mm.

Species 1. **Troxochrus scabriculus** *(Westring) 1851. „Erigone".*

Tab. IV, fig. 48: epigyne. Tab. V, fig. 4: maris pars tibialis palpi dextri a latere interiore visa.

Erigone scabricula Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra aggeris Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Walckenaëra scabricula Cambr. 1879. Sp. Dors. — Troxochrus scabriculus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, Páczin, Nagymihály, Varannó, Sztropkó, Homonna, Királyháza. — III. Debreczen. — V. Brassó.

Genus 67. **Troxochrota** *novum genus Kulczynski.*

Tr. scabra. Pars thoracica et sternum crasse inaequabiliter rugosa; cephalothorax et abdomen nigrofusca, pedes rufo-testacei. *Femina* oculorum serie posteriore modice procurvâ, serie anteriore sat fortiter procurvâ, clypeo perparum altiore, quam area oculorum mediorum longa est, parte cephalicâ non elevatâ, epigyne mediâ in tuberculum humile, nitidum, transversum, parum definitum, leviter in longitudinem sulcatum, postice paullulum incisum, elevatâ; longit. ca. 1·6 mm. — *Mas* parte cephalicâ leviter elevatâ, utrimque sulco longitudinali ornatâ, tuber distinctum non formanti; clypeo paullo altiore quam area oculorum mediorum longa est, palporum parte tibiali supra ad angulum interiorem processu ornatâ quam pars ipsa breviori, anguste triangulari, apicem versus compresso, acuto, parte tarsali parvâ, laminâ tarsali formâ vulgari, bulbo genitali processibus evidentioribus carenti; longit. ca. 1·5 mm. (Sec. 2 exempla).

Species 1. **Troxochrota scabra** *nova species Kulczyński.*

Tab. IV, fig. 49: epigyne. Tab. V, fig. 5 *a:* maris cephalothorax a latere, *b:* eiusdem pars antica desuper et paullulum a fronte, *c:* eadem a fronte et paullulum desuper visa, *d:* pars tibialis et tarsalis palpi dextri, *e, f:* pars tarsalis ab imo et a latere exteriore visa.

Femina.

Cephalothorax antice sat fortiter angustatus, lateribus leviter sinuatis, in lineâ transversâ, quae serie oculorum posteriore designatur, serie hac circiter $^1/_3$ latior, fronte insigniter rotundatâ, cum lateribus partis cephalicae in arcum parum inaequabilem confluenti. Desuper adspecti oculi antici marginem cephalothoracis attingere, series oculorum posterior plus duplo angustior esse quam cephalothoracis pars latissima (ca. 3·7) videtur. Dorsi pars postica, modice longa, sat fortiter declivis; pars anterior cum eâ in angulum coniuncta manifestum, quam pars cephalica summa non evidenter humiliorem, posterius leviter excavata, anterius leviter convexa; clypeus in longitudinem paullulum excavatus, in universum paene ad perpendiculum directus. Pars thoracica crasse et inaequabiliter rugosa, parum nitens, vestigiis linearum radiantium impressarum et impresso-punctatorum ornata, in angulo impressione parvâ, sat profundâ ornata; fovea in declivitate dorsi posticâ nulla (?); pars cephalica a parte thoracicâ impressionibus sat profundis distincta, subtiliter reticulata, sat fortiter nitens. *Oculorum* series posterior modice procurva: margines antici mediorum cum punctis mediis lateralium lineam subrectam designant; oculi sat magni, inter se spatiis parum inaequalibus, quam diameter mediorum non multo minoribus remoti. Series anterior sat fortiter procurva: puncta media oculorum mediorum, qui lateralibus non parum minores sunt, cum marginibus superioribus horum oculorum lineam subrectam designant; intervallum medium lateralibus parum minus, omnia diametro oculorum mediorum paullo minora videntur. Area oculorum mediorum postice circiter sescuplo latior quam antice, perparum longior quam postice lata. Clypeus sub oculis mediis perparum altior quam area oculorum mediorum longa est. *Mandibulae* clypeo circiter sescuplo longiores, paullo breviores quam ambae simul sumptae latae sunt, parallelae, paullulum reclinatae, apice intus rotundatae, sulco unguiculari in margine antico dentibus 3 mediocribus, in postico denticulis parvis, magis approximatis 4 instructae, dorso prope angulum apicalem interiorem granulis parvis piligeris duobus, lineam sulco unguiculari parallelam designantibus ornato. *Maxillae* fortiter in labium inclinatae, in latere exteriore pro palporum insertione fortiter dilatatae, ita ut multo latiores quam longae evadant et margo anterior (cuius parti externae innati sunt palpi) cum margine apicali angulum formet latissimum aut potius in lineam parum curvatam et paene transversam confluat. *Labium* multo latius quam longum, trapezoideo lunatum, basi impressum. *Sternum* aeque circiter latum atque longum, inter coxas posticas paullo latius quam hae coxae longae sunt, sursum curvatum, margine (quum a parte inferiore adspicitur) leviter rotundato et paullulum elevato; crasse et inaequabiliter rugosum sternum est et parum nitet. *Pedes* modice longi, sat graciles. *Abdominis* dorsum cute molli tectum videtur, punctis impressis tamen parum densis et paullo umbilicatis ornatur, ut in speciebus scuto duriusculo instructis; abdomen sat fortiter deplanatum, late ovatum, postice paullulum acuminatum. *Epigyne* sescuplo circiter latior quam longa, antice et in lateribus rotundata (marginibus parum definitis), margine postico parum rotundato; prope medium in tuberculum elevata nitidum, transversum, postice medio indistincte incisum, sulco longitudinali diffuso dimidiatum; pars epigynes tuberculo huic et margini postico interiecta sat fortiter praerupta, antice et in lateribus sulco circumcincta, lamellam format transversam, paene ellipticam.

Cephalothorax obscure fuscus, colorem rufum paullo sentiens, parte cephalicâ paullo pallidiore, praesertim antice; mandibulae fuscae, apicem versus pallidiores; maxillae colore simili; sternum fusco-nigrum; labium basi nigricans, margine apicali pallido; palpi flavidi; pedes rufo-testacei patellis flavidis. Abdomen obscure fuscum, dorso secundum medium picturâ ornato fusco-cinereâ, parum expressâ, e pari punctorum maiusculorum rotundatorum paullo pone $^1/_4$ longitudinis sito et e lineis transversis ca. 5 constanti, quarum anteriores plus minusve interruptae et angulatae, posteriores autem arcuatae, recurvae sunt. Mamillae pallide fuscae.

Cephalothorax ca. 0·7 mm. longus, ca. 0·59 latus, pedum I. femur ca. 0·45, patella 0·18, tibia 0·41, metatarsus 0·32, tarsus 0·29, partes pedum II.: 0·42, 0·18, 0·36, 0·30, 0·27, pedum III.: 0·39, 0·16, 0·29, 0·27, 0·24, pedum IV.: 0·52, 0·18, 0·45, 0·35, 0·26 longae. Abdomen 1·0 mm. longum, 0·8 latum.

Mas.

Cephalothorax lateribus antice perparum sinuatis. Dorsi pars declivitati posticae et oculis interiecta posterius librata est, anterius modice adscendit usque ad oculos medios posticos et levissime convexa est; area oculorum mediorum fortius declivis quam pars dorsi pone eam sita, levissime convexa; ad margines superiores oculorum lateralium posticorum pars cephalica sulcis ornatur

libratis, acute impressis, qui sulci desuper adspecti recti fere et paene paralleli sunt. *Oculi* postici medii inter se circiter diametro suâ, ab oculis lateralibus spatiis paullo maioribus remoti. Oculi antici medii a lateralibus circiter diametro suâ distant. Area oculorum mediorum non multo quidem, evidenter tamen longior quam lata postice, clypeus paullo altior quam area haec longa. Oculi antici medii directo a fronte adspecti duplo fere longius a clypei margine quam a vertice distare videntur. *Mandibulae* clypeo circiter $^1/_3$ longiores; earum armatura similis atque in femina (?). *Palporum* pars femoralis formâ vulgari; pars patellaris ca. sescuplo longior quam lata, lateribus paene parallelis; pars tibialis desuper visa (processu excluso) paullo brevior et sescuplo fere latior quam pars patellaris, a basi apicem versus sat fortiter dilatata et incrassata (subter fortius quam supra), dorso in longitudinem leviter convexo, supra ad angulum apicalem interiorem in processum producta quam pars ipsa paullo breviorem, apicem versus compressum, paene anteriora versus directum, levissime foras curvatum, qui processus desuper visus modice gracilis, triangularis, apice acutus est, a latere exteriore autem adspectus apicem versus minus attenuatus, apice truncatus videtur. Pars tarsalis aeque circiter longa atque pars patellaris cum tibiali (processu excluso), $^1/_3$ longior quam lata, desuper visa apice late rotundata, apicem versus fortius in latere exteriore quam in interiore angustata, impressionibus et eminentiis evidentioribus carens. Paracymbium parvum simplex falcatum. Bulbus genitalis processibus evidentioribus caret; ad marginem tumoris, qui partem maximam exteriorem bulbi format, processus conspiciuntur — difficilius quidem — duo: uncus (?) parvus, nigricans, transverse positus, cum tumoris margine antico contingens, et processus tenuis, longior (probabiliter embolus), anteriora versus directus, foras arcuatus, cuius basis margine interiore tumoris occultatur. — Caeterum mas feminae similis est.

Color similis atque feminae; palporum pars tarsalis infuscata.

Cephalothorax ca. 0·7 mm. longus, ca. 0·59 latus; pedum I. femur 0·52, patella 0·16, tibia 0·45, metatarsus 0·36, tarsus 0·29, partes pedum II.: 0·47, 0·16, 0·41, 0·32, 0·27, pedum III.: 0·39, 0·15, 0·30, 30, 0·25, pedum IV.: 0·52, 0·16, 0·49, 0·37, 0·28 longae. Abdomen 0·9 mm. longum, 0·65 latum.

V. Tasnád ♂♀ (legit Biró).

Genus 68. **Lophomma** *(Menge) 1867.*

Lophomma Simon 1884. (ad part.?). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Walckenaëra Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Erigone Thorell 1870—73. (ad p.). — Micrargus Dahl 1886. (ad p.).

Feminae.

Cephalothorax cum clypeo reticulatus, mandibularum dorsum versus latus exterius granulis parvis dispersis ornatum, sternum reticulatum. Epigyne foveâ ornata valde profundâ, non multo angustiore quam coxae IV, insigniter latiore quam longâ, margine antico insigniter magis quam posticus elevato, late rotundato (Tab. IV, fig. 50.). Long. ca. 1·6—2 mm. **herbigradum.**

Pars thoracica et clypeus punctis magnis impressis ornata, sternum dense rugoso punctatum. Epigyne postice margine elevato, parvo, arcuato, ante eum impressione vadosâ transversâ ornata. Long. 2·8 mm. (Sec. Cel. E. Simonem). **punctatum.**

Mares.

Dorsum cephalothoracis a margine postico usque ad oculos modice et parum inaequabiliter adscendens. Cephalothorax supra subterque reticulatus, punctis impressis caret. Palporum pars patellaris ca. sescuplo longior quam lata, tibialis eâ parum brevior, apice supra ad latus interius in dentem producta porrectum, triangularem, leviter foras flexum, quam pars ipsa breviorem. Bulbus genitalis taeniâ ornatus corneâ, obscurius quam partes caeterae coloratâ, a paracymbio versus bulbi partem interiorem anticam et sub laminam tarsalem curvatâ, in setam longam contortam desinenti (Tab. V, fig. 6.). Long. ca. 1·6—2·2 mm. **herbigradum.**

Pars cephalica anterior supra dorsi partem mediam sublibratam insigniter elevata. Pars thoracica punctis impressis ornata magnis, ad marginem congestis, superius in series radiantes dispositis, inter puncta laevis nitida; sternum dense impresso-punctatum. Palporum pars patellaris duplo circiter longior quam lata; pars tibialis eâ paullo brevior, crassior, supra ad apicem dente ornata sursum directo, leviter procurvo, modice gracili, aeque circiter longo atque pars ipsa crassa est, in margine apicali exteriore autem dente fere porrecto, subrecto, gracili, quam dens superior paullo breviore instructa. Long. ca. 2 mm. **punctatum.**

Species 1. **Lophomma herbigradum** *(Blackwall) 1854. „Neriene".*

Tab. IV, fig. 50: epigyne. Tab. V, fig. 6: maris partes tarsalis et tibialis palpi dextri.

Neriene herbigrada Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879—81. Sp. Dors. — Erigone mordens Thor. 1871. Rem. — Erigone herbigrada Thor. 1873. Rem. — Lophomma herbigrada Sim. 1884. Ar. Fr. — Micrargus herbigradus Dahl. 1886.

IV. Herkulesfürdő (Sztretku, 16. VII. ♂♀). — V. Peér.

Species 2. **Lophomma punctatum** *(Blackwall) 1841. „Walckenaëra".*

Walckenaëra punctata Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone punctata Thor. 1871—73. Rem. — Lophomma punctatum Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely ♂, Tokaj ♂.

Genus 69. **Tiso** *Simon 1884.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1869. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Microctenonyx Dahl 1886. (ad p.).

T. aestivus. *Femina:* Cephalothorax supra subtiliter, subter subtilissime reticulatus. Oculorum series ambae subrectae (anterior levissime procurva); dorsum cephalothoracis inter declivitatem posticam et oculos modice et aequabiliter convexum. Epigyne sulcis tribus: duobus transversis, tertio longitudinali, in quator partes divisa; sulcus anticus leviter procurvus est, posticus insigniter recurvatus partem epigynes posticam desecat triangularem, multo latiorem quam longam, laevem, nitidam; sulcus medianus, sulcum anticum cum postico coniungens, modo omnino angustus, modo in foveam latiusculam profundam dilatatus; margines interiores lamellarum lateralium epigynes igitur modo inter se contingunt et recti sunt, modo rotundati inter se non contingunt; lamella utraque sulco foras curvato, margini subparallelo ornatur (Tab. V, fig. 7 a, b.). Long. ca. 1·8 mm. (Sec. 2 exempla, alterum in Tirolià lectum, obscurius coloratum, lamellis epigynes non contingentibus, alterum — in montibus Tatricis inventum — lamellis contingentibus). — *Maris* cephalothorax similis atque feminae, ad marginem posticum oculi lateralis postici utriusque foveolâ minutâ vadosâ ornatus. Palporum pars patellaris saltem $2^1/_2$ longior quam lata, tibialis subter brevissima, supra — processu superiore incluso — aeque circiter longa atque pars patellaris, processibus duobus ornata: interiore breviore acuminato, cum laminâ tarsali contingenti, superiore deplanato, basi solâ cum laminâ tarsali contingenti, leviter sinuato, pluries longo quam lato, apice obtuso, paullo pone basim in latere interiore in lobum rotundatum dilatato, caeterum latitudine ubique subaequali (Tab. V, fig. 7 c, d, e.). Long. ca. 1·6—1·8 mm. (Sec. pauca exempla Tirolensia).

Species 1. **Tiso aestivus** *(L. Koch) 1872. „Erigone".*

Tab. V, fig. 7 *a* et *b:* epigyne, *c:* maris pars tibialis palpi dextri desuper visa, *d* et *e:* partes tibialis et tarsalis a latere exteriore et a latere interiore visae (fig. *b—e* secundum exempla Tirolensia delineatae).

Erigone aestiva L. Koch 1872. Beitrag z. Kenntn. d. Arachnidenfauna Tirols, 2-te Abhandl. — Erigone carpatica Kulcz. 1882. Ar. nov. Tar. — Tiso aestivus Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Tátra (Kriván).

Genus 70. **Gongylidiellum** *Simon 1884.*

Neriene Cambridge 1879. (ad part.). — Micrargus Dahl 1886. (ad p.).

G. murcidum. *Femina.* Cephalothoracis pars thoracica et sternum subtiliter reticulata, illa modice nitens, hoc subopacum. Cephalothorax fusco testaceus, sternum fuscum. Oculorum series posterior paullulum procurva, series anterior levissime sursum curvata, marginibus inferioribus oculorum lineam paene rectam designantibus; oculi medii antici posticis non evidenter minores, ab oculis anticis lateralibus non longius saltem quam inter se remoti. Dorsum partis cephalicae, quod a latere visum postice nullâ impressione a parte thoracicâ distinguitur, posterius sublibratum, antice paullo descendens, itaque in longitudinem modice et inaequabiliter arcuatum. Epigynes paries inferior in transversum modice convexus, in longitudinem planus, margine postico inaequali; margo posticus epigynes foveis duabus occupatur transversis, modice profundis; harum apex externus rotundatus, pars interior exteriore latior, ab eâ procursu parietis inferioris epigynes, parum prominenti, distincta; in lineâ mediâ epigynes foveae inter se septo distinguuntur angusto, cum margine medio parietis inferioris epigynes coniuncto (Tab. V, fig. 8 a.). Apex epigynes a latere adspectae paullo supra ventris planum prominet et ita incisus est, ut apicula duo subacuta et parum inaequalia formet. Long. ca. 1·6 mm. (Feminam hanc a feminis cum maribus *G. latebricolae* (Cambr.) in Polonia lectis distinguere nescio).

Mas. Cephalothoracis forma et sculptura similes atque in femina, pars thoracica tamen paullo fortius reticulata videtur, ut sternum modice nitens, dorsum partis cephalicae leviter convexum, postice anteriora versus adscendens, anterius descendens, oculorum anteriorum margines inferiores lineam designant rectam aut paullulum sursum curvatam. Mandibularum dorsum non procul ab angulo apicali interiore dente forti ornatum. Palporum pars patellaris vix sescuplo longior quam lata; pars tibialis ipsa brevissima, processibus inclusis paullo longior quam pars patellaris, a basi fortiter dilatata et admodum incrassata, margine apicali exteriore in dentem latum triangularem producto, margine apicali superiore processus duos formanti, quorum interior, apice obtusus, laminae tarsali adpressus, foras flexus, in palpo desuper adspecto maximam partem processu altero occultatur, itaque difficilius conspicitur. Processus exterior sursum et paullo anteriora versus directus, parum gracilis, paullo foras arcuatus, apice acutus, cum angulo marginis exterioris coniunctus, ab eo sinu lato rotundato distinctus. Paracymbium apicem versus latum, apice transverse truncatum et ita excisum, ut in dentes duos desinet: anteriorem rotundatum et posteriorem acutum (Tab. V, fig. 8 b, c.). Long. ca. 1·6 mm.

Species 1. **Gongylidiellum murcidum** *Simon 1884. Ar. Fr.*

Tab. V, fig. 8, *a*, epigyne, *b:* maris partes tibialis et tarsalis palpi sinistri (*pc:* paracymbium), *c*: palpi eiusdem partes patellaris et tibialis (et basis partis tarsalis) desuper et paullo a latere interiore visae.

III. Kecskemét ♂♀.

Genus 71. **Tapinocyba** *(Simon) 1884.*

Walckenaëra Cambridge 1879. (ad part.). — Plaesiocraerus Simon 1884. (ad p.). — Microctenonyx Dahl 1886. (ad p.). — Dicyphus Dahl 1886. (ad p.).

Feminae.

Color plus minusve pallidus, ex. gr. sternum testaceum aut fusco-rufum (marginibus saepe obscurioribus), neque nigrum.

1. Epigyne foveâ ornata magnâ, profundâ, oblongâ, antice et in lateribus marginibus acutis, non elevatis tamen, circumdatâ, antice rotundatâ, lateribus modo parallelis, modo posteriora versus paullo a se discedentibus; postice fovea margine transverso, obtuso, pallide colorato clausa est. Fundus foveae pallidus, margines anticus et laterales rufo-fusci; partibus pallide coloratis circumdati, in epigyne humefactâ maculam ferri equini instar curvatam formant (Tab. V, fig. 10 a.). Oculorum series posterior modice procurva: puncta media

lateralium cum marginibus anticis mediorum lineam subrectam designant (nota paullo mutabilis, quod ex oculorum mediorum magnitudine paullo variabili pendere videtur!); series anterior paullo recurva: marginibus inferioribus oculorum lineam subrectam designantibus. Dorsum partis cephalicae modice et aequabiliter convexum. Sternum et cephalothorax subtilissime (hic paullo fortius quam illud) reticulata, sternum sat fortiter nitens. Long. ca. 1·5—1·6 mm. **2. insecta.**

Epigyne foveâ profundâ oblongâ caret. 2

2. Epigyne in parte anteriore ligulâ parvâ elevatâ corneâ ornata; caeterum eius sculptura difficilius perspicitur et paullo mutabilis est: pars media, quae antice ligulâ commemoratâ limitatur, partibus lateralibus pallidior, margine postico compresso et paullulum elevato, ante eum sulco transverso plus minusve expresso ornata, in lateribus postice tantum modice definita sulcis anteriora versus subito inter se appropinquantibus; pars haec media epigynes plus minusve inaequalis est, saepissime partibus lateralibus paullo humilior (Tab. V, fig. 9 a.). Pars cephalica leviter gibbosa; anterius convexa, in dimidio posteriore leviter aut levissime excavata. Oculorum series posterior fortiter procurva: margines antici mediorum cum marginibus posticis lateralium lineam plerumque paene rectam designant, aut cum punctis mediis eorum lineam evidenter procurvam formant saltem. Cephalothorax mediocriter, sternum sat fortiter reticulatum, subopacum. Long. ca. 1·8 mm. **1. Beckii.**

— — — — nullâ ligulâ elevatâ ornata, prope marginem posticum sulco transverso, profundo ornata. Pars epigynes pone hunc sulcum sita, in lateribus sulcis multo minus expressis limitata lamellam format pluries latam quam longam, caeteris epigynes partibus pallidiorem (Tab. V, fig. 11 a.). Humefactae epigynes area testacea, ante lamellam commemoratam maculis ornatur duabus oblongis fuscis, inter se multo minus remotis, quam margines laterales lamellae illius, qui — leviter infuscati — etiam conspici possunt, quamquam difficilius; in utroque latere epigyne circulo fusco-marginato picta est (fig. 11 b.). Caeterum epigyne modice et paene aequabiliter convexa, foveis et eminentiis evidentioribus caret. Oculorum situs similis atque in *T. insecta.* Cephalothorax et sternum subtilissime (cephalothorax paullo fortius quam sternum) reticulata, hoc fortiter nitens. Pars cephalica sat fortiter et aequabiliter in longitudinem convexa, prope medium altissima. Long. ca. 1·3 mm. (Sec. 1 exemplum). **3. pallens.**

Mares.

Cephalothoracis et sterni sculptura similis atque in feminis.

1. Pars cephalica tubere nullo definito ornata (ad marginem superiorem posticum oculi lateralis postici sulco acute impresso ornata). Partis tibialis dens apicalis interior laminae tarsali fortius adpressus quam dens exterior. 2

— — anterior in tuber elevata multo longius quam altum et quam latum, postice bene definitum; oculi medii postici in tubere supra iacent, parum ab eius margine antico remoti; tuber sulco longitudinali ornatur, praesertim in margine suo antico distincto. Oculorum series anterior insigniter procurva. Palporum pars patellaris duplo longior quam lata; pars tibialis — dentibus apicalibus inclusis — eâ paullo longior, desuper adspecta a basi medium versus sat fortiter et aequabiliter dilatata, margine apicali paullo supra laminam tarsalem producto et in dentes duos exciso, quorum interior supra laminam tarsalem paullo elevatus est, exterior autem ei fortius adpressus; in palpo desuper adspecto dens interior longior quam dens exterior, sat gracilis, subacutus, paene rectus, videtur (Tab. V, fig. 9 b.), re verâ cum margine apicali interiore partis tibialis oblique dilatato confluit, itaque a latere interiore adspectus latior videtur quam desuper; dens exterior a latere exteriore visus deflexus, acutus (fig. 9 c.). Bulbi genitalis pars exterior media tumida prominens. Long. ca. 1·5 mm. **1. Beckii.**

2. Processus tibialis interior exteriore insigniter longior, apice sursum curvatus. Pars patellaris paene duplo longior quam lata; pars tibialis — dentibus apicalibus inclusis — eâ circiter sescuplo longior, a basi apicem versus insigniter dilatata, supra basim laminae tarsalis paullo producta et in dentes duos, inter se sinu rotundato distinctos excisa; dens interior brevior quam pars ipsa, desuper visus eius angulum interiorem format, tenuis videtur et paene rectus, re verâ non multo longior est quam basi latus, sursum curvatus, apicem versus aequabiliter angustatus, acutus; dens exterior desuper visus in dimidio exteriore marginis apicalis iacet, latus est, triangularis, apice obtusus, in margine exteriore denticulo minuto deflexo ornatur, qui desuper non conspicitur (Tab. V, fig. 10 b, c.). Bulbi genitalis pars media exterior tumida insigniter prominet. Long. 1·4—1·7 mm. **2. insecta.**

Processus tibialis interior exteriore non longior (desuper adspectus eo paullo longior videtur, quoniam ille paullo elevatus est), ambo breves, triangulares, basi latiores quam longi, interior exteriore magis acutus; in palpo desuper adspecto apex dentis exterioris non multo longius distare videtur ab angulo partis tibialis exteriore quam apex dentis interioris ab angulo interiore (Tab. V, fig. 11 c, d.). Pars patellaris duplo longior quam lata, tibialis eâ parum longior, a basi apicem versus insigniter dilatata. Bulbus genitalis similis atque in priore. Long. ca. 1·3—1·5 mm. 3. **pallens**.

Species 1. **Tapinocyba Beckii** *(Cambridge) 1871. „Walckenaëra".*

Tab. V, fig. 9, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi sinistri desuper visa, *c:* eadem a latere exteriore visa.

Walckenaëra Beckii Cambr. 1874. Descr. of some British Spiders. — Id. 1879. Sp. Dors. — Plaesiocraerus Beckii Sim. 1884. Ar. Fr. — Dicyphus Beckii Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Sztropkó, Mezőlaborcz ♀, Szinnaikő 14. VI. 89. ♀, Suliguli 7. VII. 87. ♀, Zboró, Tátra (Javorina). — IV. Marillavölgy. — V. Biharfüred 23. VIII. ♀, N.-Szeben. — VIII. Risnjak (in altitudine 1400—1500 m.) ♂.

Species 2. **Tapinocyba insecta** *(L. Koch) 1869. „Erigone".*

Tab. V, fig. 10, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi sinistri desuper et paullo a latere interiore, *c:* eadem a latere exteriore visa.

Erigone insecta L. Koch 1869. Beitr. z. Kenntn. d. Arachnidenfauna Tirols, I. — Plaesiocraerus insectus Sim. 1884. Ar. Fr. — ? Microctenonyx ovatus Dahl 1886.

I. S.-A.-Ujhely ♀, Tokaj, Szőllőske ♀, Páczin, Lelesz, Varannó, Sztropkó. — III. N.-Kőrös ♀, Kecskemét ♀, Debreczen. — VIII. Diakovár.

Species 3. **Tapinocyba pallens** *(Cambridge) 1872. „Erigone (Walckenaëra)".*

Tab. V, fig. 11 *a:* epigyne, *b:* eadem humefacta, *c:* maris pars tibialis palpi sinistri desuper, *d:* eadem a latere interiore visa.

Erigone (Walckenaëra) pallens Cambr. 1872. Descript. of Twenty-four new Species of Erigone. — Tapinocyba pallens Sim. 1884. Ar. Fr.

VIII. Velebit ♂♀.

Genus 72. **Panamomops** *Simon 1884.*

Walckenaëra Thorell 1869. (ad part.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Erigone Thorell 1870—73. (ad p.). — Neriene Cambridge 1879. (ad p.). — Micrargus Dahl 1886. (ad p.).

Color plus minusve pallidus, ex. gr. sternum testaceum aut fuscum, neque nigrum.

Feminae.

Epigyne sulcis quatuor longitudinalibus ornata. Sulci interiores exterioribus plerumque paullo profundiores, eis multo magis quam inter se approximati; pars epigynes media, sulcis interioribus limitata, pallida, antice margine elevato transverso, paullulum sinuato definita; partes sulcis interioribus et exterioribus interiectae nigrae, nitidissimae, vittas formant longitudinales pluries longas quam latas; partes anticae sulcorum interiorum plus minusve in foveolas oblongas dilatatae; margines exteriores sulcorum exteriorum, antice intus curvatorum, in marginem anticum areae mediae abeunt supra commemoratum (Tab.

IV, fig. 12 a.). Oculorum series posterior leviter procurva; oculorum anteriorum margines inferiores lineam paene rectam designant. Pars thoracica sublaevis (omnium subtilissime reticulata), sternum laeve. Dorsum cephalothoracis in angulum fractum, eius pars anterior sublibrata (pars cephalica non aut vix altior quam pars thoracica), posterius levissime excavata, anterius paullulum convexa. Long. ca. 1·5 mm. (Sec. pauca exempla). **1. sulcifrons.**

Epigyne sulcis longitudinalibus caret, sulco ornatur transverso, in universum arcum recurvum formanti, inaequali, marginem suum posticum fere attingenti ibique in foveolas rotundatas dilatato; margo sulci anterior, qui melius definitus est quam posticus, medio plus minusve evidenter in angulum parvum, retro directum fractus est, et in utraque parte sinuatus. Epigynes pars media postica, sulco hoc circumdata, tuberculum format subellipticum, transversum, non altius quam epigynes pars ante sulcum sita (Tab. V, fig. 13 a.). Oculorum series posterior sat fortiter procurva (puncta media lateralium cum marginibus anticis mediorum lineam subrectam designant), margines inferiores oculorum anticorum lineam designant paene rectam. Pars cephalica paullulum altior quam pars thoracica, ab eâ impressione levi distincta, in longitudinem modice et paullo inaequabiliter convexa. Long. ca. 1·2—1·4 mm. **2. diceros.**

Mares.

Pars cephalica angulis insigniter productis, inter eos in transversum excavata, sulcis nullis ornata. Apex anguli utriusque serie pilorum minutorum confertorum, plerumque cuspidem brevem acutam simulanti, et ad eam in margine superiore exteriore carinulâ minutâ acutâ, ornatus (Tab. V, fig. 12 b.). Oculi laterales sub apice angulorum, in eorum latere anteriore et exteriore siti, inter se contingentes. Series oculorum anterior subrecta; area oculorum mediorum longior quam postice lata. Clypei margo tuber distinctum non format. Palporum pars patellaris circiter sescuplo longior quam lata; pars tibialis eâ insigniter brevior, processu, quo ornatur, incluso eâ sescuplo saltem longior, supra in processum producta magnum, anteriora versus directum, foras arcuatum, ad medium marginem exteriorem ramo ornatum foras fere directo, parti apicali processus ipsius subparallelo et aeque fere atque ea longo (fig. 12 c.). Bulbi genitalis partem anticam exteriorem magnam seta format duplex, longa valde, in circulum curvata. Long. ca. 1·8 mm. (Sec. 2 exempla). **1. sulcifrons.**

— — angulis non productis, sulcis duobus profundis ornata. Sulci cum oculis posticis lateralibus carinulâ acutâ coniuncti, retro et paullo intus directi, areolam includunt paullo elevatam, antice oculos medios posticos gerentem et in longitudinem sulcatam. Area oculorum mediorum utrimque cristulâ ornatur longitudinali e pilis dense confertis, apice foras curvatis, constanti (Tab. V, fig. 13 b.). Oculorum series anterior modice sursum curvata. Clypeus ad marginem leviter proiectus, tuber distinctum non format. Palporum pars patellaris ca. sescuplo longior quam lata, subter ad apicem in dentem obtusum incrassata; pars tibialis brevis, processu apicali incluso longior quam pars patellaris, margine apicali superiore in dimidio interiore in processum producto quam pars ipsa longiorem et insigniter longiorem quam latum, sursum et paullo anteriora versus et foras directum, apicem versus non angustatum, apice oblique truncatum, angulo interiore leviter deflexo (fig. 13 c.). Embolus brevis. Long. ca. 1·2 mm. **2. diceros.**

Species 1. **Panamomops sulcifrons** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. V, fig. 12 *a:* epigyne, *b:* maris pars cephalica, *c:* pars tibialis palpi sinistri desuper visa.

Erigone sulcifrons Thor. 1871—73. Rem. — Platyopis sulcifrons Menge 1868. Preuss. Spinn. — (Panamomops sulcifrons Sim. 1884. Ar. Fr.).

I. S.-A.-Ujhely (mense Maio ♂♀), Monok 22. VIII. 89. ♀, Czéke ♀.

Species 2. **Panamomops diceros** *(Cambridge) 1871. „Walckenaëra".*

Tab. V, fig. 13, *a:* epigyne, *b:* maris pars cephalica anterior, *c:* partes patellaris et tibialis palpi sinistri a latere interiore visae.

Walckenaëra diceros Cambr. 1871. Descript. of some British Spiders. — Id. 1879. Sp. Dors. — Panamomops diceros Sim. 1884. Ar. Fr. — Micrargus diceros Dahl 1886.

I. Czéke.

Genus 73. **Lasiargus** *novum genus*[1]) *Kulczyński.*

Micryphantes Menge 1869. (ad part.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.).

L. hirsutus. *Femina:* Dorsi cephalothoracis pars posterior longa, modice declivis, pars anterior sublibrata (paullulum anteriora versus adscendens), subrecta, pilis compluribus longis subrectis procurvis ornata. Oculorum series posterior procurva: puncta media oculorum lateralium cum marginibus anticis oculorum mediorum lineam subrectam designant; intervallum medium lateralibus paullulum maius; series anterior subrecta, oculi medii a lateralibus non longius saltem quam inter se remoti. Clypeus in longitudinem paullulum excavatus et paullulum proiectus, aeque saltem altus atque area oculorum mediorum longa. Cephalothorax et sternum laevia. Epigyne transverse elliptica, sulco recurvato, modice — in lateribus parum — definito in partes duas divisa; harum anterior tota fere obscure colorata, modice convexa, posterior minor, flavida, ita impressa et incisa, ut in ligulam excurrat oblongam, paullo ultra epigastrii marginem prominentem, marginibus elevatis, basi leviter constrictam, apicem versus leviter angustatam, apice rotundatam (Tab. V, fig. 14 a.). Abdomen pilis longis erectis hirsutum. Cephalothorax et abdomen fusca, pedes fusco-flavidi, colore rufo suffusi. Long. ca. 2·6—3·0 mm. — *Mas:* Pars cephalica tuber distinctum non format, impressionibus caret. Oculorum situs similis fere atque in feminâ, oculi postici medii tamen inter se non longius quam a lateralibus, oculi antici medii a lateralibus paullulum longius quam inter se distare videntur.[2]) Clypeus modice excavatus, in universum paene ad perpendiculum directus (paullulum reclinatus). Palporum pars patellaris paullo longior quam lata; pars tibialis eâ paullo brevior et latior; eius margo apicalis supra in dimidio exteriore dente brevi acuto nigro, fere porrecto, ornatus, inter dentem hunc et angulum interiorem (fig. 14 b.) impressus; bulbus genitalis insigniter prominens, complicatus, setâ ornatus, longâ valde, compressâ, non procul a medio in dimidio exteriore innatâ, intus directâ, marginem interiorem laminae tarsalis attingenti, secundum eum sub apicem laminae tarsalis curvatâ; apex bulbi genitalis processu instructus gracili, nigro, fere porrecto, qui supra prope medium denticulo brevi acuto ornatus videtur (re verâ denticulus hic non ad processum pertinet, sed e margine apicali membranae, partem basalem processus obvolventis formatur (Tab. V, fig. 14 c.). Long. ca. 1·7—2·2 mm. (Sec. perpauca exempla Polonica et unum Hungaricum).

Species 1. **Lasiargus hirsutus** *(Menge) 1868. „Micryphantes".*

Tab. V, fig. 14, *a*: epigyne, *b*: maris pars tibialis palpi sinistri, *c:* eiusdem palpi pars tarsalis (*p:* paracymbium, *b:* bulbus genitalis, *lt:* lamina tarsalis).

Micryphantes hirsutus Menge 1868. Preussische Spinnen.

I. Körtvélyes (unicum marem legit Dna Gizella Raisz).

---

[1] Λάβιος, Ἄργος — (Argus Walck.).

[2]) Secundum exempla quae vidi (perpauca) mas speciei huius capitis formâ et oculorum situ paullo variare videtur: pars cephalica modo evidenter, modo parum elevata est, series oculorum anterior recta aut paullulum recurvata, clypei altitudo cum longitudine areae oculorum mediorum comparata etiam non constans (modo non, modo evidenter maior quam in feminâ).

Genus 74. **Maso** *Simon 1884.*

Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad part.). — Walckenaëra Thorell 1869. (ad p.). — Neriene Cambridge 1879. (ad p.). — Phylloeca Dahl 1886. (ad p.).

Feminae.

Tibiae I. subter in latere utroque aculeis circiter 4 instructae. Epigyne foveis duabus ornata, fundo inaequali, antice margine acuto, recurvo limitatis, inter se septo angusto subacuto distinctis; septum subito dilatatum est in margine postico epigynes, nusquam abrupte elevatum (Tab. V, fig. 15 a.). Pars cephalica non elevata, dorso modice convexo; oculorum series posterior subrecta, anterior sat fortiter procurva. Cephalothorax paene laevis (admodum subtiliter reticulatus), sternum laeve. Long. ca. 1·6—1·9 mm. **2. Sundevallii.**[1])

— — — — — — aculeis circiter 6 instructae. Epigyne foveis maioribus et septo angusto subacuto caret, in parte posticâ sulcis ornatur duobus, e margine postico exeuntibus, incurvatis et in foveolas dilatatis parvas, parum expressas, inter se approximatas; quibus sulcis areola circumscribitur plus duplo latior quam longa. (Epigynes sculptura difficile perspicitur. Tab. V, fig. 16.). Dorsum cephalothoracis inter declivitatem posticam et oculos sublibratum et subrectum; oculorum series ambae paullo procurvae; cephalothorax sublaevis, sternum laeve. Long. ca. 2·2 mm. (Sec. 1 exemplum). **1. carpaticus.**

Mas.

Palporum pars patellaris paullo longior quam lata, lateribus paene parallelis; pars tibialis supra eâ paullo longior, insigniter latior, desuper visa margine apicali in angulum recto non multo maiorem fracto, a basi apicem versus sat fortiter et in utroque latere paene aequabiliter dilatata, pilis insolitâ formâ carens (Tab. V, fig. 15 b.); lamina tarsalis in longitudinem inaequabiliter convexa, angulum manifestum nusquam format. Bulbus genitalis crassus, insigniter deorsum prominet, processibus evidentioribus caret; partem eius caeteris magis prominentem tumor format magnus, in latere exteriore situs; ad tumorem hunc, intus, bulbus spinâ ornatur gracili, nigrâ, in semicirculum fere curvatâ, a basi intus directâ, anteriora versus sub laminae tarsalis apicem curvatâ (cum spinae huius margine exteriore, concavo, coniuncta est taenia alba, angusta, mollis) (fig. 15 c.). Long ca. 1·5—1·9 mm. **2. Sundevallii.**

Mas *M. carpatici* ignotus.

Species 1. **Maso Sundevallii** *(Westring) 1851. „Erigone".*

Tab. V, fig. 15, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi dextri, *c:* eiusdem palpi pars tarsalis.

Erigone Sundevallii Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Neriene Sundevallii Cambr. 1879. Sp. Dors. — Maso Westringii Sim. 1884. Ar. Fr. — Phylloeca Sundevallii Dahl. 1886.

I. Mezőlaborcz, Beregszász, Bártfa, Tátraháza. — IV. Marillavölgy.

Species 2. **Maso (?) carpaticus** *nova species Chyzer.*

Tab. V, fig. 16: epigyne.

Femina.

Cephalothorax antice sat fortiter angustatus, leviter sinuatus, fronte late rotundatâ, cum lateribus partis cephalicae angulos late rotundatos formanti, circiter duplo quam cephalothorax angustiore; oculorum area latitudine circiter $^3/_7$ cephalothoracis aequat; desuper adspecti oculi laterales postici a cephalothoracis margine circiter diametro suâ distare, oculi antici medii ab oculis

[1]) Cel. E. Simon speciem hanc ut novam descripsit nomenque ei dedit *Erigones Westringi,* pro *M. Sundevallii* (Westr.) autem aliam speciem habet, quae in Gallia frequentius quam *M. Sundevallii* noster occurrere videtur et praesertim Galliam meridionalem incolit. Qua in re Cel. E. Simonem sequi non possum: *M. Sundevallii* Sim. species meridionalis certo est, occidente excluso — neque in Europa media neque in septentrionali occurrens (equidem inter araneas omnes, quas lustravi, par unicum speciei huius inveni: in Istria a Dre E. Ciaston lectum), *Maso Westringii Sim.* contra non rarus incola est Hungariae, Poloniae, Austriae caet.

mediis posticis non duplo longius quam a clypei margine remoti esse videntur. Dorsi pars postica longa modice declivis, cum parte anteriore, quae paene recta et fere librata est, in angulum coniuncta sat manifestum, quamquam latum et late rotundatum. Cephalothorax fere omnino laevis; impressiones partis thoracicae radiantes breves, parum definitae, impressiones cephalicae profundae, sulcus ordinarius nullus, declivitas postica foveâ sat magnâ, oblongâ, latâ ornata. *Oculorum* series posterior modice procurva, oculi subaequales et spatiis subaequalibus, quam diameter paullo minoribus, remoti; series anterior leviter procurva, oculi medii lateralibus multo minores, inter se spatio quam diameter paullo minore, a lateralibus circiter diametro suâ remoti. Area oculorum mediorum postice circiter sescuplo latior quam antice, parum longior quam postice lata. Clypeus longitudine aream oculorum mediorum fere aequat, sub oculis levissime impressus est, caeterum subrectus et sat fortiter proiectus. *Mandibulae* clypeo duplo saltem longiores, aeque circiter longae atque ambae simul sumptae latae sunt, apice intus rotundatae. *Labium* valde breve. *Maxillae* fortiter in labium inclinatae, in latere exteriore insigniter dilatatae. *Sternum* laeve, aeque fere latum atque longum, postice inter coxas IV. productum et quam coxae paullo angustius, sursum curvatum, apice recte truncatum. *Pedes* pilosi et aculeati; pili non pauci solito crassiores, medium tenent inter pilos proprios et aculeos. Femora subter ornata serie duplici pilorum, fortiorum in pedibus anterioribus quam in posterioribus, et apicem versus gradatim maioribus; horum pilorum maiores saltem aculei dici possunt. Tibiae 4 anteriores subter ad latus utrumque serie aculeorum 6 aut 7 ornatae, longorum, gracilium; pili in tibiarum posteriorum (praesertim III.) parte inferiore siti etiam solito crassiores. Metatarsorum quatuor anteriorum pili inferi superis paullo fortiores, quam aculei tibiales multo debiliores tamen, utrimque 6—8. *Abdomen* cute molli tectum. (Epigynes descriptionem v. supra in tabulâ synopticâ).

Cephalothorax fuscus, colore rufo paullo suffusus, marginibus obscurioribus, maculâ in occipite sitâ, parum distinctâ, cum oculorum areâ lineis tribus coniunctâ, ornatus; mandibulae cephalothorace paullo pallidiores, sternum colore cephalothoracis; palpi et pedes rufo-testacei; abdomen nigricans.

Cephal. 1·0 mm. longus, 0·8 latus, abdomen 1·4 long., 1·05 lat.; pedum I. patella 0·30, tibia 0·65, metatarsus 0·52, tarsus 0·27, partes eaedem pedum IV.: 0·27, 0·75, 0·65, 0·33 mm. longae.

I. Suliguli (unicam feminam legit autor 7. VII. 1886.).

Genus 75. **Minicia** *Thorell 1875.*

Simon 1884. — Phylloeca Dahl 1886. (ad part.).

M. marginella. Femina pallide colorata, maculâ in occipite sitâ, cephalothoracis et sterni marginibus, vittâ mediâ angustâ, non raro evanescenti, et limbo laterali abdominis dorsum ornanti, plus minusve interrupto, vittis duabus parallelis in ventre sitis — fusco-nigris, plus minusve expressis. Tibiae anteriores subter ad latus utrumque aculeis longis et fortibus instructae. Dorsum cephalothoracis a margine postico usque fere ad oculos arcu parum inaequali adscendens. Epigyne sat fortiter in transversum et in longitudinem (praesertim postice) convexa, sulcis ornata duobus sat profundis, totam fere suam longitudinem occupantibus, anteriora versus paullo a se discedentibus, antice leviter incurvatis, aream includentibus non angustiorem saltem quam spatium a mamillis infimis occupatum; area haec media ad medium latus utrumque foveolâ ornatur modice definitâ (Tab. V, fig. 17.). Long. ca. 1·8—2·0 mm. — Mas colore feminae similis, colore nigricanti uberius pictus. Tibiae anteriores subter ad latus posterius solum aculeis paucis brevibus tenuibus ornatae. Pars cephalica elevata et supra oculos tumorem formans subglobosum, paullo deplanatum, anteriora versus leviter angustatum, aeque circiter atque oculorum area latum. Oculorum series anterior fortiter procurva. Laminae tarsalis angulus posticus interior in calcar productus maximum, retro directum, foras curvatum, subito attenuatum, in spinam gracilem desinens. Long. ca. 1·7 mm. (Sec. exemplum unicum, ad Bonnam lectum, a Cel. Dre Ph. Bertkau communicatum).

Species 1. **Minicia marginella** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. V, fig. 17: epigyne.

Minicia spinosa Thor. 1875. Descr. — Minicia marginella Sim. 1884. Ar. Fr. — Phylloeca marginella Dahl 1886.

V. Tasnád (legit Biró).

Genus 76. **Ceratinella** *(Emerton) 1882.*

Simon 1884. — Erigone Westring 1861. (ad part.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Walckenaëra Blackwall 1864. (ad p.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Ceratina Dahl 1886.

Feminae.

1. Unguis mandibularum subter pone basim impressus 2
— — formâ vulgari (arcuatus). Pars thoracica supra subtilissime, margines versus paullo fortius reticulata, nitida. Sternum (marginibus exceptis) laeve. Epigynes pars postica, sulco maximam partem modice recurvato distincta, in duas divisa partes: harum anterior minor, multo latior quam longa, non aut non multo saltem longior quam spatium, quo ab epigynes margine postico distat. Clypeus subrectus. Long. ca. 2·1—2·2 mm. (Sec. duo exempla).[1]) **3. scabrosa (?).**
2. Pars thoracica paene aequabiliter, sat fortiter, acute reticulata, punctis impressis evidentioribus caret (punctis impressis ornatur quidem, paucis, in series radiantes dispositis, quae puncta tamen difficillime conspiciuntur). Epigyne similis atque in priore, limbus eius posticus tamen multo tenuior quam areola ante eum sita, haec subsemicircularis. Long. ca. 1·8—2·1 mm. **2. brevis.**
Praecedenti valde affinis, maior, ca. 2·3 mm. longa; epigynes forma similis. Pars thoracica reticulata et in reticuli maculis plerisque — praesertim margines cephalothoracis versus — punctis profundius impressis ornata; praeterea punctis impressis instructa in series radiantes dispositis, ad series has plus minusve laevigata (series hae itaque facile conspiciuntur). (Tab. V, fig. 18 a.). **1. maior.**

Mares.

1. Latus superius externum partis tibialis palporum, dilatatum, processum format brevem, foras et anteriora versus et paullo sursum directum, apice truncato et in dentem brevem acutum deorsum et intus directum producto (Tab. V, fig. 18 b.). 2
— — — partis tibialis palporum processu nullo ornatum; pars haec desuper et a latere interiore adspecta non latior quam longa; eius margo apicalis desuper visus ita excisus est, ut dentes duos formet: horum interior maximam partem apicis occupat, latus est et obtusus, exterior angulum apicalem exteriorem partis occupat, compressus, non longior saltem quam dens interior, reverâ uncum format brevem, deorsum curvatum, quod in palpo a latere exteriore viso conspicitur (Tab. V, fig. 20 b.). Ceph. 0·8 mm. lg. (Sec. 1 exempl. Polonicum). **3. scabrosa.**
2. Bulbus genitalis ad lineam medianam, in parte exteriore, lamellâ ornatur longitudinali, neque basim neque apicem suum attingenti, modice induratâ; lamellae huius angulus posticus interior paullo productus dentem format intus et deorsum directum, qui in palpo a latere exteriore et paullo a parte inferiore viso facile conspicitur; inter lamellam hanc et apicem emboli recurvatum bulbus lamellâ nullâ ornatur, quae longius quam ea promineat (Tab. V, fig. 18 c, d.). Cephalothoracis sculptura similis atque in feminâ. Long. ca. 2·0 mm. **1. maior.**
Lamellae supra dictae angulus posticus interior vix productus in palpo a latere exteriore et paullo a parte inferiore viso dentem nullum prominentem format; bulbus inter lamellam hanc et apicem emboli recurvatum lamellâ aliâ, modica induratâ, paene membranaceâ, paullo longius productâ ornatus (Tab. V, fig. 19.). Cephalothoracis sculptura similis atque in feminâ. Long. ca. 1·8 mm. **2. brevis.**

Species 1. **Ceratinella maior** *nova species Kulczyński.*

Tab. V, fig. 18 *a*: epigyne, *b*: maris pars tibialis dextra *(lt:* lamina tarsalis, *pc:* paracymbium), *c*: pars tarsalis dextra ab imo, *d*: eadem a latere exteriore et paullo a parte inferiore visa.

Femina.

Cephalothorax antice sat fortiter angustatus, perparum sinuatus; area oculorum aequc circiter lata atque $^3/_7$ cephalothoracis; frons insigniter rotundata cum lateribus partis cephalicae in arcum parum inaequabilem confluit; desuper adspecti oculi laterales antici marginem cephalothoracis fere attingere, laterales postici ab eo circiter diametro suâ distare videntur. Dorsum cephalothoracis

[1]) Hanc feminam Rev. O. P. Cambridge a. 1883. *Ceratinellam scabrosam* suam esse declaravit; cephalothoracis et sterni sculpturâ non differt ea a mare, ad Cracoviam lecto, quem Rev. *Cambridge* examinavit quoque. Femina a Cel. E. Simone (Les Arachn. de France) descripta, sterno reticulato opaco, fortasse alia est species.

arcu parum inaequali adscendit a margine postico usque ad punctum summum, quod ab oculis mediis posticis circiter longitudine areae oculorum mediorum distat; oculi postici medii paullo demissius siti quam punctum hoc; clypeus fere rectus et fere ad perpendiculum directus (levissime excavatus et perparum proiectus). Impressiones cephalicae parum profundae, diffusae; sulcus medius ordinarius nullus; fovea in dorsi declivitate posticâ valde vadosa. Pars cephalica subtilissime reticulata, oculos versus sublaevis; partis thoracicae sculptura e reticulo (elevato?) subtilissime et e punctis impressis rotundatis, in reticuli maculis sitis, constare videtur, paullo inaequalis est, margines versus fortior quam supra et fortior inter series radiantes punctorum impressorum quam ad eas; series hae utrimque 3, anteriores melius expressae quam postremae; illae saltem — in dorsi partibus sublaevibus aut subtilius saltem reticulatis sitae — facile conspiciuntur. *Oculorum* series posterior paullulum procurva, oculi parum inaequales, medii a lateralibus paullo minus remoti quam inter se, eorum intervallum diametro paullo minus; series oculorum anterior modice procurva, marginibus superioribus lineam subrectam designantibus, oculi medii lateralibus multo minores, ab eis parum longius quam inter se remoti; area oculorum mediorum aeque circiter lata postice atque longa, antice dimidio fere angustior quam postice; clypeus sub oculis mediis paullo altior quam eorum area longa est. *Mandibulae* clypeo non duplo longiores (ca. 5 : 3), apicem versus angustatae, apice oblique truncatae, sulco unguiculari inermi (fortasse in angulo mandibulae interiore, antice, denticulo parvo instructo); ungues mandibularum flexuosi, basi subter in longitudinem concavi. *Maxillae* insigniter in labium inclinatae, extrinsecus ita dilatatae, ut palpos in margine *antico* exteriore gerant. *Labium* valde breve, basi impressum. *Sternum* aeque circiter latum atque longum, postice inter coxas IV. productum et aeque fere latum atque coxae hae longae sunt, apice late truncatum, marginibus absolete rugosis, caeterum — punctis impressis paucis parvis dispersis exceptis — laeve. *Abdomen* desuper visum non multo longius quam latum, postice acuminatum, depressum, dorso maximam partem scuto indurato, umbilicato punctato, tecto. *Epigynes* area cornea, antice bene circumscripta, in longitudinem paullulum excavata, in transversum modice convexa, rotundato-triangularis, apice antico tuberculum formanti obtusum, a partibus adiacentibus epigastrii optime distinctum, supra epigynes planum autem parum elevatum; area haec obsolete rugosa, postice sulco profundo, recurvato, non totam suam latitudinem occupanti, ornatur; sinus sulco circumscriptus, paene semicircularis, magnam partem areolâ repletur laevi, nitidâ, paene ellipticâ, aut antice paullo truncatâ, paullo latiore quam longâ, medio subplanâ, marginibus obtusis; postice autem sinus clausus est limbo leviter procurvo, apices versus dilatato, medio multo angustiore quam areola commemorata longa est et nonnunquam areolâ hac — in epigyne a parte inferiore visâ — occulto.

Cephalothorax nigro-fuscus, mandibulae rufo-fuscae, sternum fusco-nigrum, palpi et pedes rufescenti-fusci, horum femora et tibiae colore nigro plus minusve suffusa; abdominis scutum dorsuale nigro-fuscum, partes cute molli tectae paullo pallidiores (nonnullae obsolete flavido-fusco punctatae).

Cephalothorax ca. 0·95 mm. longus, 0·8 latus, pedum I. femur 0·65, patella 0·26, tibia 0·58, metatarsus 0·45, tarsus 0·39, partes pedum II: 0·65, 0·26, 0·52, 0·42, 0·39, pedum III: 0·58, 0·26, 0·45, 0·39, 0·32, pedum IV: 0·78, 0·26, 0·66, 0·55, 0·39 mm. longae; abdomen 1·7 longum, 1·5 latum.

Mas feminae similis. Desuper adspecti oculi laterales antici paullulum ultra frontis marginem prominent, laterales postici a cephalothoracis margine spatiis parvis distare videntur; dorsum cephalothoracis a margine postico lineâ in angulum latissimum et apice rotundatum fractâ adscendit, eius punctum summum spatio parvo ab oculis mediis posticis distat et supra eos perparum elevatum est; clypeus levissime excavatus, paene directus (perparum reclinatus); impressiones cephalicae paullo profundiores; cephalothoracis sculptura similis, fortior, etiam pars cephalica versus impressiones cephalicas impresso-punctata, pars thoracica fortius impresso-punctata (punctis rotundatis, inter se evidenter distinctis), ita ut reticulatio indistincta evadat, secundum series punctorum radiantes laevigata. *Oculi* postici medii lateralibus paullo minores, inter se non longius quam ab eis remoti, intervalla omnia diametro mediorum paullo maiora; oculi antici medii a lateralibus evidenter longius quam inter se remoti; clypeus circiter sescuplo altior quam area oculorum mediorum longa est. *Mandibulae* clypeo circiter $^1/_3$ longiores; earum ungues fortius quam in feminâ sinuati. *Palporum* pars femoralis formâ vulgari; pars patellaris circiter $^1/_4$ longior quam lata, lateribus parallelis; pars tibialis, processibus inclusis, parte patellari paullo longior, desuper visa aeque fere longa atque lata, eius margo apicalis superior paullo productus et paullo oblique rotundatus; in latere exteriore pars tibialis a basi sat fortiter dilatata est et in processum brevem crassum elevata, anteriora versus et foras et paullo sursum directum, leviter incurvatum, apice subito deorsum et intus infracto et

dentem brevem subito acuminatum formanti. Lamina tarsalis circiter sescuplo longior quam lata est et quam partes patellaris et tibialis simul sumptae longae sunt; desuper adspecta a basi medium versus leviter dilatata, apice paullo oblique rotundata videtur; paracymbium mediocre, simplex, falcatum; bulbi genitalis ab imo adspecti partem internam posteriorem calcar format crassum fusco-rufum, basi contortum, retro et paullo deorsum directum, a medio leviter sursum curvatum; prope calcar hoc bulbus taeniâ ornatur nigrâ, sat latâ, apicem versus longe attenuatâ, non procul a bulbo medio emergenti, anteriora versus et foras directâ, sub marginem apicalem laminae tarsalis curvatâ usque ad eius angulum apicalem exteriorem, ubi subito deorsum et foras inflexa in spinam desinit gracilem, curvatam, quae, ultra apicem laminae tarsalis prominens, in palpo a latere viso facile conspicitur; basis taeniae lamellâ occultatur minus induratâ, pluries longiore quam latâ, anteriora versus directâ apicem versus paullo foras curvatâ, bulbi apicem fere attingenti, apice obtuso, angulo basali interiore dentem brevem subacutum formanti, qui in bulbo a latere exteriore et paullo a parte inferiore viso, prope eius medium, facile conspicitur. *Abdomen* late ellipticum, apice leviter acuminatum.

Cephalothorax 0·97 mm. longus, 0·84 latus, abdomen 1·6 long., 1·3 lat. Pedum I. patella 0·26, tibia 0·61, metatarsus 0·48, tarsus 0·42, partes eaedem pedum II.: 0·26, 0·55, 0·45, 0·39, pedum IV.: 0·26, 0·66, 0·52, 0·37 mm. longae.

Species haec, *Ceratinellae brevi* valde affinis, occurrit in Polonia (ad Cracoviam lecta sunt exempla tria) et in Hungaria:

I. Lelesz ♀, Homonna ♂.

Species 2. **Ceratinella brevis** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. V, fig. 19: maris pars tarsalis palpi dextri a latere exteriore et paullo a parte inferiore visa.

Micryphantes phaeopus C. L. Koch 1845. Arachn. — Erigone phaeopus Westr. 1861. Ar. Suec. — Walckenaëra depressa Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Erigone brevis Thor. 1871—73. Rem. — Walckenaëra brevis Cambr. 1879. Sp. Dors. — Ceratinella brevis Sim. 1884. Ar. Fr. — Ceratina brevis Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Tolcsva, A.-Bereczki, Szőllőske, Páczin, Lelesz, Dargó, Gálszécs, Varannó, Bánszka, Nagymihály, Peticse, Szinnaikő, Torna, Körtvélyes. — V. Pele. — VIII. Zágráb.

Species 3. **Ceratinella scabrosa** *(Cambridge) 1871. (?) „Walckenaëra".*

Tab. V, fig. 20 *a:* epigyne, *b*: maris pars tibialis palpi sinistri desuper et paullo a latere exteriore visa (*lt:* lamina tarsalis, *pc:* paracymbium).

Walckenaëra scabrosa Cambr. 1871. Descr. of some Br. Spid. — Ceratinella scabrosa Sim 1884. Ar. Fr. (mas, non femina?).

Exemplum nostrum unicum, femininum, nullâ re differre videtur a feminâ ad Cracoviam lectâ, quae a Rev. O. P. Cambridge nomine *Cer. scabrosae* notata in collectione Kulczynskii conservatur.

I. S.-A.-Ujhely. — II. Zircz.

Genus 77. **Walckenaëra** *(Blackwall) 1833.*

Blackwall 1864. (ad part.). — Thorell 1869. (ad p.). — Cambridge 1879. (ad p.). — Simon 1884. — Erigone Westring 1861. (ad p.). — Thorell 1870—73. (ad p.). — Neriene Blackwall 1864. (ad p.), — Cambridge 1879. (ad p.). — Wideria Simon 1884. — Prosopotheca Simon 1884. — Tigellinus Simon 1884. (ad p.). — Cornicularia Simon 1884.[1]) — Phalops Dahl 1886. — Trachynotus Dahl 1886. — Lophomma Dahl 1884.

Feminae.

1. Oculorum series anterior adeo procurva, ut margines inferiores mediorum cum marginibus superioribus lateralium lineam paene rectam designent. Pars cephalica, supra dorsum

[1]) Omnes mihi notae species a Cel. *E. Simone Walckenaërinis* adnumeratae (excepto *Tigellino saxicola,* qui cum *Lophocareninis* coniungendus mihi videtur) tanta propinquitate inter se coniunctae sunt, ut eas in plura genera non divellerim. Caeterum, neque genera a Cel. *E. Simone* instituta, neque a Cel. *Dahlio* proposita (in Monographie der Erigone-Arten im Thorell'schen Sinne) satis mihi homogena videntur; nonnunquam ea etiam difficilius distinguuntur: curvatura seriei oculorum posterioris, in aliis insignis, in aliis minus conspicua, in aliis nulla, ne ad species quidem certo distinguendas semper sufficit, idem fere de frontis latitudine et de eius parte ab oculis occupata dici potest. Numerus pilorum „acusticorum" in tibiis anticis sitorum paullo mutabilis est; equidem in exemplis paucis *W. acuminatae,* quae vidi, pilos lateri anteriori propriores 3 aut 4, lateri posteriori propius sitos 5 aut 6 inveni.

cephalothoracis insigniter elevata, conum format sursum et anteriora versus directum, apice oblique truncatum. Epigyne modice convexa, margine postico arcum latum procurvum formanti, leviter rugosa et pilosa, parte postremâ glabrâ et laevi exceptâ, quae sulco subtili a caeteris partibus distincta, lamellam format transversam, 4-plo saltem latiorem quam longam (quum a parte posticâ inferiore adspicitur), apice utroque rotundato, margine antico et postico subparallelis, leviter procurvis, nusquam evidentius impressam (Tab. V, fig. 21.). (Cephalothorax in lateribus et postice limbo lato, latitudine ca. $^1/_6$ cephalothoracis aequanti, subtilissime ruguloso et modice nitido, cinctus, medio glaber nitidissimus; sulcus ordinarius — ante declivitatem posticam situs — valde brevis, acute excavatus, nonnunquam evanescens). Cephal. ca. 1·5 mm. lg. **1. acuminata.**

Series oculorum anterior si procurva est, margines inferiores mediorum et margines superiores lateralium lineam fortiter sursum curvatum designant. 2

2. Margines postici oculorum posteriorum (in cephalothorace *desuper* adspecto) lineam designant procurvam[1]; dorsum cephalothoracis inter declivitatem posticam et oculos profunde sinuatum, posterius sublibratum, anterius adscendens et plus minusve convexum. 3

— — — — lineam designant rectam aut leviter recurvatam, raro (in *W. vigilaci* nonnunquam) paullulum procurvam, dorsum cephalothoracis tum inter declivitatem posticam et oculos arcum format paene aequabilem. 7

3. Tibiae anteriores infuscatae aut nigrae. Oculorum series anterior recta. 4

— — caeteris pedum partibus non obscurius coloratae. 5

4. Epigyne postice lamellâ glabrâ transverse ellipticâ ornata: ex areâ epigynes, modice convexâ, rugosâ, pilosâ, postice sulco transverso lamella desecatur parum plus duplo latior quam longa (quum a parte inferiore posticâ adspicitur), neque fortius indurata neque obscurior quam caeterae partes epigynes; areae rugosae et pilosae margo posticus, leviter depressus, medio breviter incisus, partem formare videtur lamellae huius, quae cum eo ellipsin format duplo latiorem quam longam, in transversum modice, in longitudinem fortiter convexam; foveis profundioribus caret epigyne (Tab. V, fig. 22.). Dorsi pars pone oculos posticos sita, paullo brevior quam area oculorum mediorum, sublibrata; posterius dorsum primo breviter et sat praerupte descendit, tum lenius et longius adscendit usque ad declivitatem posticam, ita ut pars summa capitis parum altior evadat quam angulus, in quem coëunt dorsi pars media sublibrata et declivitas postica. (Pars thoracica ad margines subtiliter reticulata, modice nitida, supra hunc limbum reticulatum impressionibus quibusdam diffusis, vadosis, parum definitis, nonnunquam evanescentibus, ornata; caeterum glabra nitidissima; impressiones radiantes nullae; sulcus ordinarius subtilissimus). Cephal. ca. 1·0—1·2 mm. lg. **7. antica.**

— a parte inferiore adspecta postice lamellis glabris duabus rotundato-triangularibus instructa videtur, sulcis enim ornatur duobus oppositis arcuatis incurvis, quorum partes anticae intus et retro flexae inter se valde appropinquant; areae pars apicibus his sulcorum inflexis limitata ligulam format rotundato-triangularem, quae saepe impressionibus longitudinalibus duabus parum definitis in partes tres divisa et sulco transverso ante eam sito a caeteris areae partibus distincta est (Tab. V, fig. 27.). Dorsum cephalothoracis magis aequabiliter quam in priore sinuatum: pone oculos primo paullulum adscendens, tum usque ad declivitatem posticam paene aequabiliter excavatum; pars summa capitis evidenter (quamquam non multo) altior quam angulus e dorsi parte sublibrata et declivitate postica formatus. (Pars thoracica supra marginem impressionibus nonnullis magis minusve profundis, formâ et numero variantibus, ornata, ad marginem plus minusve evidenter reticulata, caeterum glabra nitidissima. Sulcus ordinarius subtilissimus). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **9. melanocephala.**

5. Oculi postici parvi, ita ut inter se circiter diametro suâ distent et margines antici mediorum cum marginibus posticis lateralium lineam rectam aut subrectam designent. Caeterum species haec admodum similis est *W. anticae*, dorsum cephalothoracis tantum paullulum aliam habet formam: ab oculis posteriora versus paullulum adscendit, ab occipitis parte praeruptâ declivitatem posticam versus non adscendit, sed potius descendit, aut libratum est saltem; pars capitis summa itaque evidenter altior est quam angulus, in quem coëunt dorsi pars sublibrata et declivitas postica. (Sulcus ordinarius omnino deletus — in exemplis, quae vidi, saltem). Cephal. ca. 1·1—1·2 mm. lg. **8. suspecta.**

— — magni, inter se (praesertim medii a lateralibus) spatiis multo quam diameter minoribus remoti; linea margines anticos mediorum et margines posticos lateralium attingens fortiter

---

[1]) Oculorum situs paullo mutabilis est; quam ob rem, si species recte distinguere vis, alias etiam notas — praesertim epigynes formam — respicias, necesse est.

recurvata. Oculorum series anterior deorsum curvata, marginibus superioribus oculorum (quorum medii lateralibus insigniter minores sunt) lineam subrectam designantibus. Pars cephalica elevata. 6

6. Area oculorum mediorum insigniter brevior quam clypeus sub eâ altus. Corpus ca. 3—3½ mm. lg. Epigynes area antice et in lateribus parum definita, maximam partem pallide colorata, parum indurata, modice convexa, rugosa, pilosa; postice sulco insigniter procurvo lamella ex eâ exsecatur glabra transversa procurva, apicibus rotundatis, marginibus antico et postico subparallelis, ca. 2½—3 brevior quam lata, nusquam impressa (Tab. V, fig. 23.) (Cephalothoracis sculptura similis atque *W. anticae;* sulcus ordinarius brevis profundus). Cephal. ca. 1·3—1·4 mm. lg. **6. mitrata.**

— — — aeque longa atque clypeus sub eâ altus. Corpus ca. 2—2½ mm. lg. Epigynes area multo latior quam longa, sat fortiter indurata praesertim posterius; prope marginem posticum epigyne fissuris ornatur duabus transversis arcuatis recurvis, intus plus minusve dilatatis et spatio parvo inter se disiunctis; margo areae posticus medio in ligulam brevem triangularem (a caeteris partibus sulco leviter recurvato, parum definito, distinctam) productus videtur et ad eam utrimque late sinuatus; sinus uterque lamellâ corneâ repletur (Tab. V, fig. 26 a.). (Cephalothoracis sculptura similis atque *W. anticae;* sulcus ordinarius paullo varians, plerumque acute impressus, sed vadosus). Cephal. ca. 0·85—0·95 mm. lg. **5. cucullata.**

7. Epigynes pars postica tuberibus ornata duobus corneis glabris nitidis transversis, antice inter se processu ex epigynes parte anteriore exeunti disiunctis; ambo tubera simul sumpta latiora sunt quam spatium a mamillis infimis occupatum; processus areae eis interiectus late triangularis, apice acutus, marginem epigynes posticum (sive tuberum marginem posticum) non attingit, sulco longitudinali ornatur, a caeteris epigynes partibus sulco transverso, modice definito, prope epigynes medium sito distinguitur, ita ut epigyne foveâ ornata videatur magnâ trapezoideâ, postice latiore, multo latiore quam longa, tuberibus commemoratis et hoc processu repletâ (Tab. V, fig. 25 a.). Dorsum cephalothoracis inter oculos et declivitatem posticam fortiter et paene aequabiliter sinuatum: antice convexum, postice excavatum. Pars thoracica dorso excepto reticulata et rugosa, quasi erosa, utrimque vestigiis striarum radiantium binarum ornata. Sulcus ordinarius sat longus, profundus. Oculorum series anterior recta. Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **4. capito.**

— — — costam aut lamellam format non dimidiatam, raro (in *W. vigilaci*) impressione mediâ in tubercula duo dividitur, tubercula haec tum nullo processu ex epigynes parte anteriore pilosâ exeunti disiunguntur. 8

8. Dorsum cephalothoracis inter declivitatem posticam et oculos fere totum arcuatum (antice paullo fortius convexum quam postice), ad ipsam declivitatem modo parum aut vix impressum. 9

— — — — — — — sinuatum: posterius excavatum, anterius convexum. Pars thoracica plerumque tota reticulata (in dorso subtilius quam ad margines) et utrimque striis radiantibus tribus leviter punctatis ornata.[1]) Oculorum series anterior procurva: margines oculorum superiores lineam rectam, inferiores procurvam designant. Epigyne postice in sinum excisa fere trapezicum, postice latiorem, duplo circiter latiorem quam longum; qui sinus postice costâ terminatur transversâ, rectâ, parum induratâ, obtusâ, utrimque (ad sinus angulos posticos) in angulum recto minorem infractâ et in sinum secundum eius margines laterales ingredienti; fovea ad hunc modum formata costis brevibus pro parte repletur duabus e foveae margine antico (qui plus minus angulatus est) exeuntibus, eo humilioribus, plus minusve in longitudinem directis (Tab. V, fig. 24.). (Costae hae parum induratae formâ variare videntur, in exemplis quae ova deposuerant, difficilius conspiciuntur; in exemplis his costa postica-transversa, tamquam marcida, subacuta et medio in angulum parvum anteriora versus directum, fracta est). Cephal. ca. 1·2—1·4 mm. lg. **3. obtusa.**

9. Epigynes partem postremam costa format paene aequabiliter arcuata, procurva, insigniter indurata, caeteris partibus epigynes obscurior, non pallidior saltem; inter costam hanc et marginem areae rugosae et pilosae fovea iacet semilunaris, procurva (Tab. V, fig. 31.). Pars thoracica ad margines reticulata, superius lineis impressis, utrimque tribus, radiantibus, optime expressis ornata, caeterum laevis. Cephal. ca. 1·2 mm. lg. **12. cuspidata.**

— — — costa format parum indurata, caeteris partibus epigynes pallidior, apicibus procurvis,

[1]) Variat haec species sculptura cephalothoracis — probabiliter progrediente aetate —; totam partem thoracicam evidenter, imo crasse, reticulatam vidi in exemplis obscure coloratis, quae certo ova deposuerant; in exemplis iunioribus, pallide coloratis, dorsum partis thoracicae aut non nisi sub lente valde acuta reticulatum apparet aut omnino laeve est. Etiam striae radiantes partis thoracicae in exemplis iunioribus nonnunquam paene evanescunt.

medio plus minusve anteriora versus sinuata et impressa; inter eam et marginem posticum areae pilosae et rugosae fovea iacet transversa, parum definita, saepe margine postico medio areae pilosae paullo producto et depresso plus minusve distincte in foveolas duas divisa (Tab. V, fig. 30.). Pars thoracica fere tota reticulata (ad margines fortius, supra subtilissime), supra marginem impressionibus vadosis, diffusis, parum definitis, ornata, lineis impressis caret. Cephal. ca. 1·0 mm. lg. **13. vigilax.**

W. nudipalpis. Oculorum series anterior fortiter, posterior leviter procurva, oculorum posticorum intervalla diametro minora. Clypeus altior quam area oculorum mediorum longa. Tibiae anteriores non infuscatae. Cephalothorax lateribus reticulatis, supra sublaevis. Epigyne foveis caret. Long. 3·8 mm. (Sec. Cel. E. Simonem).[1])

W. fugax. Oculi antici seriem rectam, postici procurvam formant, illi inter se fere contingunt, horum medii inter se spatio quam diameter minore, a lateralibus spatiis quam radius minoribus distant. Clypeus aeque circiter altus atque area oculorum mediorum longa. Tibiae anteriores non infuscatae. Epigyne parum convexa, margine postico in sinus duos parvos, semicirculares, exciso. Long. ca. 2—2·3 mm. (Sec. Cel. E. Simonem).

Feminae *W. Kochii* et *W. simplicis* ignotae.

Mares.

1. Pars cephalica in processum elevata tenuem, longissimum, omnes oculos gerentem, erectum, altitudine dimidiam cephalothoracis longitudinem paullo superantem. Oculi quatuor in mediâ fere altitudine processus iacent, quatuor alii in apice processus et ad eum. Palporum pars tibialis supra processibus duobus instructa, exteriore oblongo obtuso, interiore eo multo longiore, leviter foras curvato, in latere exteriore excavato, in interiore convexo, itaque supra carinato, supra non procul a basi in dentem magnum compressum, rotundato-truncatum dilatato, apice ita exciso, ut supra dentem formet rectangulum, infra autem in appendicem laminae tarsali adpressam producatur. Embolus in bulbi genitalis parte anticâ exteriore circulum format magnum, e spinis duabus parallelis gracilibus nigris, inter se membranâ pellucidâ connatis, constantem. Cephal. ca. 1·4 mm. lg. **1. acuminata.**
— — tubere oculos medios posticos gerenti ornata. 2
— — (nonnunquam supra partem thoracicam insigniter elevata) processu nullo ornata aut processu instructa *inter* oculos medios anticos et posticos sito. 7
2. Pars cephalica ante tuber oculos posticos medios gerens in tuberculum aliud, multo minus, elevata, appendicibus duabus porrectis, sursum curvatis ornatum. 3
Tuberculum partis cephalicae anterius, si adest, appendicibus insignibus caret. 4
3. Tuber cephalicum oculos posticos gerens non latius quam area oculorum, desuper adspectum insigniter longius quam latum. Tibiae anteriores colore fusco aut nigro suffusae. Processus interior partis tibialis anteriora versus et foras directus, paullo ultra mediam laminam tarsalem productus, ei adpressus, leviter sinuatus, latitudine ubique subaequali, apicem versus paullo oblique angustatus, summo apice obtuso; processus exterior, cum interiore contingens, eo duplo saltem brevior, squamam format convexam, ovatam, apice (qui cum processu interiore contingit) in dentem producto deorsum — inter processum et laminam tarsalem — curvatum (dens hic difficilius conspicitur). Cephal. ca. 1·0—1·2 mm. lg. **7. antica.**
— — — — — paullo latius quam oculorum area, desuper visum subrotundatum, non evidenter longius quam latum. Tibiae anteriores non infuscatae. Palporum structura eadem atque in priore. Cephal. ca. 1·2 mm. lg. (Cave, ne cum hac specie exempla *W. anticae* tibiis anterioribus parum infuscatis confundas). **8. suspecta.**
4. Tuber cephalicum capiti totâ aut fere totâ basi adnatum, aut postice adnatum, antice ab eo fissurâ angustâ distinctum. 5
— — capiti antice adnatum, postice ab eo incisurâ profundâ distinctum, desuper adspectum subrotundum, non longius quam latum. Partis tibialis palporum forma similis atque in

---

[1]) Femina haec, mihi ignota, similis praesertim videtur *W. mitratae,* a qua — teste Cel. E. Simone — differt oculorum serie antica procurva — non recta; quod mihi tamen paullo dubium videtur; equidem in omnibus exemplis femininis *W. mitratae,* quae vidi, seriem eam procurvam inveni, marginibus oculorum superioribus lineam subrectam, inferioribus deorsum curvatam designantibus.

W. acuminata; dens, quo carina dorsualis processus interioris pone basim ornatur, minor, rotundatus; dens, in quem carina haec desinit, obtusus. Embolus similem in modum curvatus, taeniam format latiusculam, marginibus corneis nigris, medio pro parte pallidiorem. Cephal. ca. 1·3—1·4 mm. **6. mitrata.**

5. Tuber cephalicum totâ aut fere totâ basi adnatum. 6

— — postice modo, ne dimidiâ basi quidem, capiti adnatum, ab eo itaque fissurâ valde profundâ distinctum. Palporum pars tibialis angulo apicali exteriore paullo producto, obtuso, sat dense et longe piloso, angulo apicali interiore autem processum emittenti insigni longitudine, laminae tarsali adpressum, foras curvatum, extrinsecus excavatum, itaque supra carinatum; prope medium et prope apicem processus carina haec in dentes parvos parum induratos elevata est; in latere exteriore processus spinis ornatur duabus nigris, alterâ prope medium ad ipsam carinam sitâ, alterâ fortius curvatâ, basi propius et profundius sitâ (Tab. V, fig. 25 b.). Cephal. ca. 1·3 mm. lg. **4. capito.**

6. Tuber antice a capite fissurâ parum profundâ distinctum. Processus tibialis interior compressus, margine interiore prope medium dentem latum obtusum (qui difficilius conspicitur) formanti, a medio apicem versus dilatatus, apice sinu rotundato in lobos duos diviso: inferiorem acutum, leviter sursum curvatum, et superiorem latiorem, margine denticulato; processus exterior brevior, sursum et antiora versus directus, incurvatus, apicem versus angustatus (Tab. V, fig. 26 b.). Tibiae anteriores non infuscatae. Cephal. ca. 1·0—1·1 mm. lg. **5. cucullata.**

— totâ basi capiti adnatum. Palporum pars tibialis processibus duobus ornata: altero supra sito, sursum fere directo, apice leviter procurvo, acuto, altero in angulo apicali interiore sito, laminae tarsali adpresso, gracili, levissime sinuato, apice subito oblique acuminato. Tibiae anteriores fuscae aut nigrae. Cephal. 1·1 mm. lg. **9. melanocephala.**

7. Pars cephalica inter oculos medios processu mediocri aut parvo ornata, aut in tuberculum humile, apice setis crassis, parum longis, duabus instructum elevata. 8

Area oculorum mediorum plana aut leviter excavata, neque formâ, neque processu ullo insignis. 10

8. Area oculorum mediorum processu instructa erecto, apice profunde inciso. Palporum pars tibialis margine apicali in processus producto duos porrectos, longos, longitudine inter se parum inaequales: processus alter laminae tarsali adpressus, prope basim in latere interiore (sive inferiore) dente rectangulo ornatus, a medio apicem versus sinuato-angustatus; alter magis sursum directus et lateri exteriori propior, a processu priore spatio angusto remotus, eo paullo brevior, prope apicem in latere exteriore ramulo foras et deorsum directo ornatus (Tab. V, fig. 33.). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **11. Kochii.**

— — — processu integro instructa, aut in tuberculum valde latum et humile elevata. Margo apicalis partis tibialis processu uno ornatus. 9

9. Area oculorum mediorum corniculo anteriora versus et sursum directo, breviter piloso instructa. Processus tibialis palporum anteriora versus et foras directus, parte apicali extrinsecus excavata; pars excavata supra carinâ terminatur e dorso processus posteriora versus oblique in latus exterius descendenti; a latere exteriore adspectus processus ante apicem in tuber obtusum latum elevatus videtur, apice obtusus. Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **12. cuspidata.**

— — — in tuberculum elevata humile, setulis duabus crassis brevibus, inter se proximis ornatum (Tab. V, fig. 32 a.). Processus tibialis (ut etiam bulbi genitalis) forma eadem atque in priore (fig. 32 b, c.). Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **12. b. cuspidata var. obsoleta.**

10. Pars cephalica utrimque foveolâ ornata oblongâ profundâ, cum oculi lateralis postici margine postico superiore contingenti. Pars thoracica ad margines sat crasse reticulata, superius striis impressis radiantibus ornata. Latus exterius partis tibialis palporum angulum format insigniter prominentem, subacutum, foras et paullo anteriora versus directum; supra pars haec processu ornatur longo, cum laminâ tarsali contingenti, anteriora versus et paullo foras directo, in dimidio basali sat crasso, ad medium subter in latere interiore in dentem exciso, dimidio apicali fortius foras curvato, fortiter compresso, ita ut desuper adspectum valde angustum, a latere adspectum sat latum, apice obtusum videatur. Embolus spina est nigra gracilis, bulbo genitali in latere exteriore innata, e basi incrassatâ deorsum directa, tum anteriora versus curvata, circulum completum non describens; ad eam bulbus processibus duobus similem in modum curvatis ornatur, altero membranaceo, altero subtereti corneo, quam embolus parum crassiore, a laminae tarsalis margine deorsum

directo, infra angulo rotundato, fere recto, anteriora versus fracto (Tab. V, fig. 29 a, b.).[1]) Cephal. ca. 1·0 mm. lg. **14. fugax.**

Pars cephalica foveolis caret. 11

11. Latus exterius partis tibialis palporum processu ornatum insigni longitudine, gracili, plus minusve foras directo. 12

Partis tibialis latus exterius, convexum, tuber format non longius saltem quam latum, processu gracili caret. 13

12. Processus partis tibialis externus brevior quam spatium, quo a basi partis huius distat (pars tibialis palporum longa), in margine anteriore inter basim et apicem tuberculo ornatus, apice setis instructus paucis brevibus, nonnunquam unguiculum anteriora versus directum simulantibus. Processus, quo margo apicalis partis tibialis supra ornatur, processu externo non longior, apice compresso et incisurâ sat profundâ in dentes duos acutos diviso (palpum a latere interiore adspicias). Embolus in circulum fere completum curvatus, apice porrecto. Cephal. 1·3 mm. lg. (Sec. 1 exempl. Polonicum). **2. nudipalpis.**

— — — insigniter longior quam spatium, quo a basi partis huius remotus est (pars tibialis brevis), margine antico inermi, apice similem in modum atque in priore ornato. Processus tibialis superior insigniter longior quam externus, apice compresso, oblique truncato. Pars tibialis supra, ad sinum e processibus his formato, dente brevi nigro acuto instructa. Embolus in circulum curvatus, anfractum unum et dimidium fere format. Cephal. ca. 1·4—1·5 mm, lg. **3. obtusa.**

13. Dorsum cephalothoracis inter oculos et declivitatem posticam in universum, insigniter quidem, excavatum. Palporum pars tibialis supra in angulo interiore in processum longum producta, paene anteriora versus directum, apice leviter foras curvatum, subito bis ita angustatum, ut a latere interiore adspectus dente in margine inferiore paullo pone basim sito, alteroque in margine superiore prope medium sito ornetur; processus huius dimidium apicale, basali insigniter angustius, sursum curvatum est, apice oblique truncatum. Prope processum hunc margo apicalis partis tibialis dente ornatur eo plus duplo breviore, porrecto, nigro, gracili, fere recto (Tab. V, fig. 28 a, b, c.), Cephal. ca. 1·1 mm. lg. **10. simplex.**

— — inter oculos et declivitatem posticam maximam partem leviter convexum (postice modo paullulum excavatum). Margo apicalis superior partis tibialis processu unico instructus, a basi fere foras arcuato, qui a latere interiore adspectus a basi medium versus leviter angustatus videtur, caeterum latitudine subaequali, apice parum oblique truncato, angulis rotundatis. Cephal. ca. 0·95 mm. lg. **13. vigilax.**

1. **Walckenaëra acuminata** *Blackwall 1833.*

Tab. V, fig. 28: epigyne.

Micryphantes camelinus C. L. Koch. 1836. Arachn. — Erigone cornuta Westr. 1861. Ar. Suec. — Walckenaëra acuminata Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Erigone acuminata Thor. 1871. Rem. — Phalops acuminatus Dahl 1886.

I. Tátra, 1890. mense augusto ♂♀ legit L. Biró.

2. **Walckenaëra nudipalpis** *(Westring) 1851. „Erigone".*

Erigone nudipalpis Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra nudipalpis Cambr. 1881. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely.

---

[1]) Figura 33d a Rev. O. P. Cambridgio in *„Descriptions of some British Spiders new to science"* caet. (Transact. of the Linn. Soc. XXVII.) data non est recta: processus partis tibialis ibi delineatus, maximus, margine bis profunde incisus, re vera e partibus tribus inter se omnino distinctis constat: e processu tibiali superiore, e paracymbio, e lobo bulbi genitalis externo, corneo.

3. **Walckenaëra obtusa** *Blackwall 1836.*

Tab. V, fig. 24: epigyne.

Walckenaëra obtusa Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1881. Sp. Dors. — Sim. 1884. Ar. Fr. — Erigone obtusa Thor. 1873. Rem. — Trachynotus obtusus Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely.

4. **Walckenaëra capito** *(Westring) 1861. Ar. Suec. „Erigone".*

Tab. V, fig. 25 *a:* epigyne, *b:* pars tibialis palpi dextri maris desuper visa.

Erigone capito Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra capito Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Beregszász. — II. Sopron. — III. Budapest. — IV. Pádé.

5. **Walckenaëra cucullata** *(C. L. Koch) 1836. „Micryphantes". Arachn.*

Tab. V, fig. 26, *a:* epigyne, *b:* maris pars tibialis palpi dextri a latere interiore visa.

Erigone cucullata Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra cucullata Cambr. 1881. Sp. Dors. — Wideria cucullata Sim. 1884. Ar. Fr. — Lophomma cucullata Dahl. 1886.

I. Lelesz ♀, Podhering (4. IV. ♂). — V. Szamosujvár, Nagy-Szeben.

6. **Walckenaëra mitrata** *(Menge) 1868. „Lophomma".*

Tab. V, fig. 23: epigyne.

Erigone mitrata Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra mitrata Sim. 1884. Ar. Fr. — Lophomma mitratum Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Czéke ♀. — V. Nagy-Szeben ♀.

7. **Walckenaëra antica** *(Wider) 1834. „Theridium".*

Tab. V, fig. 22: epigynes margo posticus ab imo et paullo a parte postica visus.

Micryphantes tibialis C. L. Koch 1836—41. Arachn. — Erigone antica Westr. 1861. Ar. Suec. — Thor. 1871. Rem. — Walckenaëra antica Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Wideria antica Sim. 1884. Ar. Fr. — Lophomma anticum Dahl. 1886.

I. S.-A.-Ujhely, Páczin. — V. Zilah, Nagy-Szeben (etiam forma tibiis anticis non infuscatis).

8. **Walckenaëra suspecta** (*Kulczyński*) *1882. „Erigone“.*

Erigone suspecta Kulcz. 1882. Ar. nov. . . . Tatr.

I. Tátra (Cserveni Vrh) legit Kulczynski.

9. **Walckenaëra melanocephala** *Cambridge 1881. Sp. Dors.*

Tab. V, fig. 27: epigyne.

Erigone decipiens Kulcz. 1882. Ar. nov. . . . Tatr. — Wideria melanocephala Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Tátra (Kulczynski).

10. **Walckenaëra simplex** *nova species Chyzer.*

Tab. V, fig. 28: *a:* maris pars tibialis palpi dextri a latere interiore, *b:* eadem desuper visa, *c:* eiusdem palpi partes tibialis et tarsalis.

Mas.

Cephalothorax 1·15 mm. longus, 0·85 latus, antice fortiter angustatus, lateribus paullulum sinuatis; frons, late rotundata, cum lateribus partis cephalicae angulos format fortiter rotundatos; area oculorum triplo angustior quam cephalothorax; desuper adspecti oculi laterales postici a cephalothoracis margine longius quam diametro suâ distare, oculi antici (et laterales et medii) clypei marginem non attingere videntur. Dorsi pars media, sublibrata, cum declivitate posticâ arcu lato coniuncta; pars cephalica modice elevata, tuberibus et impressionibus caret; punctum eius summum oculi medii postici occupant; ab oculis his dorsum partis cephalicae posteriora versus primo levius, tum paullo fortius descendit, itaque in arcum latum curvatum est; area oculorum mediorum a latere adspecta paene recta videtur et insigniter fortius declivis quam dorsi pars pone oculos sita. Clypeus paene rectus et paullo proiectus. Impressiones cephalicae profundae; impressiones radiantes partis thoracicae vadosae et parum expressae; declivitatis posticae pars superior foveâ oblongâ, profundâ ornata; dorsi pars media (sublibrata) sulco caret. Cephalothorax nitidus, margines versus irregulariter rugosus, caeterum maximam partem, etiam sub lente valde acutâ, laevis videtur (re verâ subtilissime reticulatus est). *Oculorum* series posterior desuper visa recta, oculi medii paullulum longius a lateralibus quam inter se remoti, intervalla omnia diametro mediorum (qui paullulum oblongi et oculis lateralibus paullo minores videntur) minora; series anterior subrecta, oculi medii lateralibus minores, ab eis et inter se fortasse radio suo remoti. Area oculorum mediorum postice circiter dimidiâ diametro oculi latior quam antice, paullo longior quam lata (ca. 11 : 9). Clypeus altior quam area haec longa (ca. 14 : 11). *Mandibulae* circiter $^2/_3$ longiores quam clypeus altus, aeque saltem longae atque ambae simul sumptae latae sunt, parallelae, paullo reclinatae, in latere exteriore paullulum sinuatae, apice intus late oblique truncatae, in sulci unguicularis margine antico dentibus 4 (5?) sat fortibus, in margine posteriore denticulis 4 minutis, inter se multo magis approximatis, ornatae; latus externum mandibularum secundum totam fere longitudinem plicis sat fortibus, paene transversis (paullo obliquis), ca. 12 ornatur. *Maxillae* fortiter in labium inclinatae, in latere exteriore ita dilatatae, ut palpos in margine *antico* exteriore gerant. *Labium* latius quam longum, margine elevato instructum. *Sternum* maximam partem laeve nitidum, parum longius quam latum (ca. 10 : 9), inter coxas IV. productum et sursum curvatum et plus duplo angustius quam coxae hae longae sunt. *Palporum* pars femoralis forma vulgari; pars patellaris duplo longior quam lata, lateribus subparallelis; pars tibialis — processibus exclusis — supra aeque saltem longa atque $^2/_3$ partis patellaris, desuper visa parte hac sescuplo saltem latior, a basi apicem versus sat fortiter dilatata, angulo apicali exteriore non producto, angulo interiore in processum excurrenti quam pars ipsa insigniter longiorem, a basi ultra medium paene anteriora versus directum, extrinsecus excavatum, in latere interiore convexum, itaque supra in carinam compressum; quae carina paullo pone medium processum in dentem desinit rectangulum; inde usque ad apicem processus multo humilior est, primo paullulum descendit, tum leviter sursum et foras curvatur; pars processus basalis, latior,

infra (in latere interiore) dente ornatur mediocri, qui difficilius conspicitur. Margo apicalis medius partis tibialis processu altero ornatur, plus duplo breviore, fere recto et fere porrecto, acuto, gracili, nigro. Lamina tarsalis paullo longior quam partes patellaris et tibialis (processibus exclusis) simul sumptae, desuper visa duplo fere latior quam pars tibialis et $^1/_4$ saltem longior quam lata, lateribus magnam partem parallelis, apice oblique angustata (fortius in latere exteriore); eminentiis et impressionibus insolitis caret lamina tarsalis; paracymbium parvum, simplex, falcatum. Bulbus genitalis similis atque in *Walckenaëris* plerisque; partem eius anticam exteriorem embolus format niger, sat crassus, in circulum curvatus completum, paullo oblique positum; apex emboli, membranâ tenui obvolutus, subter iacet et paullo prominet anteriora versus directus. *Pedes* graciles; femora, praesertim anteriora — ut in *Walckenaëris* aliis — supra basim subito et sat fortiter incrassata, inde apicem versus longe et aequabiliter attenuata; pedum I. femur 1·15, patella 0·32, tibia 1·14, metatarsus 0·93, tarsus 0·63, pedum II. partes: 1·15, 0·32, 1·05, 0·91, 0·60, pedum III.: 0·97, 0·29, 0·88, 0·78, 0·49, pedum IV.: 1·23, 0·32, 1·22, 1·00, 0·60 mm. longae. *Abdomen* desuper visum paene ellipticum, postice paullo acuminatum, 1·8 mm. longum, 1·05 latum, cute molli tectum.

Cephalothorax et sternum badia, mandibulae flavido-fuscae, maxillae et labii margo apicalis fusco-flava, huius basis nigricans; palporum pars femoralis et patellaris flavae, colore rufo paullulum suffusae, pars tibialis et tarsalis fuscae et nigricantes. Pedes rufo testacei. Abdomen cinereo-fuscum, dorso medio, praesertim anterius, et ventre, praesertim ad mamillas, paullo obscurioribus; abdomen picturâ fusco-flavidâ e lineolis tenuibus constanti, parum conspicuâ ornatur: in dorso arcubus paucis recurvatis, in ventre lineis duabus parallelis, mamillas cum epigastrio coniungentibus (ut in multis aliis araneis abdomine „concolore").

Exemplum unicum, masculinum, huius speciei lectum est ad I. Czéke.

11. **Walckenaëra Kochii** (*Cambridge*) *1872. „Erigone".*

Tab. V, fig. 33: maris pars tibialis palpi dextri desuper et paullo a latere interiore visa.

Erigone Kochii Cambr. 1872. Descript. of new spec. of Erigone (Proc. Zool. Soc. 1872.). — Cornicularia Kochi Sim. 1884. Ar. Fr.

I. Tátra (Csorbaitó) 23. VIII. 1889. ♂.

12. **Walckenaëra cuspidata** *Blackwall 1833.*

Tab. V, fig. 31: epigyne.

Walckenaëra cuspidata Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone cuspidata Thor. 1871—73. Rem. — Cornicularia cuspidata Sim. 1884. Ar. Fr. — Trachynotus cuspidatus Dahl. 1886.

I. Tátra (Hlinszkai-, Mlinica-völgy, Tátracsúcs, Nagy- és Kis-Tarpatak, Reglanypatak).

Walckenaëra cuspidata Blackw. var. obsoleta.

Tab. V, fig. 32 *a*: maris pars antica cephalothoracis, *b*: pars tibialis palpi sinistri desuper visa, *c*: eiusdem palpi partes tibialis et tarsalis a latere exteriore visae (*p*: paracymbium).

Differt haec varietas (?) a formâ typicâ areâ oculorum mediorum leviter elevatâ in tuberculum humile, apice acutum et setulis ornatum paucis brevibus crassis, quarum praesertim duae anteriora versus et sursum directae facile conspiciuntur. Processus, quo area haec in *W. cuspidata* ornatur, deest. — Fortasse monstrum?

V. N.-Szeben (mas unicus).

13. **Walckenaëra vigilax** *(Blackwall) 1853. „Neriene“.*

Tab. V, fig. 30: epigyne.

Neriene vigilax Blackw. 1864. Sp. Gr. Brit. — Cambr. 1879. Sp. Dors. — Erigone vigilax Thor. 1873. Rem. — Cornicularia vigilax Sim. 1884. Ar. Fr. — Lophomma vigilax Dahl. 1886.

I. B.-Szerdahely, 12. IX. 886. ♀, Szaláncz 15. VIII. 886. ♀.

14. **Walckenaëra fugax** *(Cambridge) 1871. „Neriene“.*

Tab. V, fig. 29 *a:* maris partes tibialis et tarsalis palpi sinistri, *b:* eiusdem palpi pars tibialis desuper et paullo a latere interiore visa.

Neriene fugax Cambr. 1871. Descr. of some Br. Spid. — Id. 1879. Sp. Dors. — Wideria fugax Sim. 1884. Ar. Fr.

I. S.-A.-Ujhely, mense majo, ♂.

CORRIGENDA.

Pag.	2	lin.	15	antice	leg.	antico
„	3	„	29	23	„	24
„	4	„	31	47	„	46
„	8	„	3	85	„	84
„	8	„	5	84	„	85
„	10	„	10	111	„	113
„	11	„	25	elevatâ	„	clavatâ
„	15	„	12	3·7	„	3 : 7
„	19	„	3	superiore	„	posteriore
„	19	„	39	ornatus	„	ornatum
„	20	„	9	6·7	„	0·7
„	22	„	41	que	„	quae
„	25	„	12	parva	„	parva,
„	27	„	3 ab imo	que	„	quae
„	31	„	34	17	„	16
„	37	„	20	sinistri	„	dextri
„	37	„	20	exteriore	„	interiore
„	41	„	4	posterior	„	posterior, marginibus lateralibus inclusis,
„	41	„	31	bulbus genitalis	„	apex bulbi genitalis
„	45	„	38 pone:	fovea	adde:	aut impressione minutâ rotundatâ ornatur
„	46	„	22	tibialis	leg.	patellaris
„	48	„	37	caeterum	„	caeteris
„	54	„	42	Pedum	„	Pedum femora
„	62	„	3	dilatatus	„	dilatatus,
„	63	„	2	pars	„	paries
„	70	„	33	Que	„	Quae
„	82	„	23	laeviter	„	leviter
„	87	„	20	apicali	„	apicale
„	97	„	35 & 42	Epigyne	„	Epigynes
„	97	„	41	Epigynes	„	Epigyne
„	105	„	2	0·40	„	0·49
„	115	„	38	processus	„	processu
„	122	„	34	44	„	45
„	125	„	10	3·7	„	3 : 7
„	125	„	14	punctatorum	„	punctatarum
„	137	„	1 ab imo	propriores	„	propiores
„	138	„	12	curvatum	„	curvatam
„	142	„	36	28	„	21

INDEX.

Abacoproeces Simon . . . 119
(?) ascitus Kulcz. n. sp. . 119
Acartauchenius Simon . . . 120
scurrilis (Cambr.) . . . 121
Asagena Sundevall 38
meridionalis Kulcz. n. sp. 39
phalerata (Panz.) . . . 39
Bathyphantes Menge . . . 72
approximatus (Cambr.) . 74
concolor (Wid.) 73
cyaneonitens (Kulcz.) . . 75
dorsalis (Wid.) 73
gracilis (Bl.) 74
nigrinus (Westr.) . . . 74
pullatus (Cambr.) . . . 73
similis Kulcz. n. sp. . . 74
torrentum (Kulcz.) . . . 75
Bolyphantes C. L. Koch . . 51
alticeps (Sund.) 52
luteolus (Bl.) 52
Brachycentrum Dahl . . . 114
elongatum (Wid.) . . . 116
medusa (Sim.) 117
nemorale (Bl.) 116
parallelum (Wid.) . . . 116
thoracatum (Cambr.) . . 116
Centromerus Dahl 79
arcanus (Cambr.) . . . 84
bicolor (Bl.) 81
expertus (Cambr.) . . . 82
incilium (L. Koch) . . . 84
pabulator (Cambr.) . . . 82
silvaticus (Cambr.) . . . 82
silvicola (Kulcz.) . . . 84
similis Kulcz. n. sp. . . 82
Ceratinella Emerton . . . 135
brevis (Wid.) 137
maior Kulcz. n. sp. . . 135
scabrosa (Cambr.) . . . 137
Cnephalocotes Simon . . . 117
interiectus (Cambr.) . . 118
silus (Cambr.) 119
Comaroma Bertkau 50
Simonii (Bertk.) 50
Crustulina Menge 37
guttata (Wid.) 38
rugosa (Thor.) 38
scabripes Sim. 38
Dicymbium Menge 105
nigrum (Bl.) 105
tibiale (Bl.) 106
Dicyphus Menge 100
cornutus (Menge) . . . 100
Diplocephalus Bertkau . . . 106
connectens Kulcz. n. sp. 109
crassiloba (Sim.) . . . 109
cristatus (Bl.) 109
Helleri (L. Koch.) . . . 111
humilis (Bl.) 111
latifrons (Cambr.) . . . 111
picinus (Bl.) 112
subelevatus (L. Koch.) . 111
Dipoena Thorell 26
melanogaster (C. L. K.) . . 26
Dismodicus Simon 101
bifrons (Bl.) 101
elevatus (C. L. K.) . . . 101
Drapetisca Menge 52
socialis (Sund.) 53
Enoplognatha Pavesi . . . 42
ambigua Kulcz. n. sp. . 43
corollata (Bertk.) . . . 43
crucifera (Thor.) . . . 43
maritima Sim. 43
thoracica (Hahn.) . . . 45
Entelecara Simon 112
acuminata (Wid.) . . . 113
congenera (Cambr.) . . 113
erythropus (Westr.) . . 113
Episinus Latreille 18
lugubris Sim. 18
truncatus Latr. 19
Erigone Audouin 89
atra Bl. 90
dentipalpis (Wid.) . . . 91
tirolensis L. Koch. . . . 90
vagans Aud. 91
Ero C. L. Koch 12
aphana (Walck.) . . . 13
furcata (Vill.) 13
tuberculata (Deg.) . . . 13
Euryopis Menge 19
acuminata (Luc.) . . . 20
argenteomaculata Sim. . 21
flavomaculata (C. L. K.) . 21
laeta (Westr.) 20
orsovensis Kulcz. n. sp. . 20
Floronia Simon 51
frenata (Wid.) 51
Formicina Canestrini . . . 11
mutinensis Can. . . . 11
„ var. pallida Can. 11
Gonatium Menge 97
corallipes (Cambr.) . . . 99
hilare (Thor.) 99
isabellinum (C. L. K.) . . 99
rubens (Bl.) 99
Gongylidiellum Simon . . . 128
murcidum Sim. 128
Gongylidium Menge 92
rufipes (L.) 92
Hypomma Dahl 99
bituberculatum (Wid.) . 100
Labulla Simon 61
thoracica (Wid.) . . . 61
Lasaeola Simon 21
braccata (C. L. K.) . . 24
convexa (Bl.) 26
croatica Chyz. n. sp. . . 24
erythropus Sim. . . . 24
inornata (Cambr.) . . . 25
nigrina Sim. 26
nigroreticulata (Sim.) . . 25
prona (Menge.) 25
torva (Thor.) 25
tristis (Hahn.) 23
Lasiargus Kulczynski . . . 132
hirsutus (Menge) . . . 132
Lathrodectus Walckenaër . . 49
13-guttatus (Rossi.) . . 49
Lephthyphantes Menge . . . 61
alacris (Bl.) 67
angulipalpis (Westr.) . . 68
annulatus (Kulcz.) . . . 67
arciger (Kulcz.) 68
collinus (L. Koch.) . . . 66
cristatus (Menge) . . . 69
crucifer (Menge) . . . 68
Henricae (Six) 71
Keyserlingii (Auss.) . . 71
lepidus (Cambr.) . . . 68
leprosus (Ohl.) 67
mansuetus (Thor.) . . . 68
Mengei Kulcz. 70

minutus (Bl.) 67
monticola (Kulcz.) . . . 68
Mughi (Fick.) 69
nebulosus (Sund.) . . . 67
obscurus (Bl.) 71
pallidus (Cambr.) . . . 68
pulcher (Kulcz.) . . . 67
tenebricola (Wid.) . . . 69
tenuis (Bl.) 70
varians (Kulcz.). . . . 68
Leptorhoptrum Kulczynski . 79
Huthwaithii (Cambr.) . . 79
Linyphia Latreille 53
clathrata Sund. 58
emphana Walck. . . . 57
frutetorum C. L. K. . . 57
„ var. punctiventris 58
furtiva Cambr. 58
hortensis Sund. 58
impigra Cambr. 58
insignis Bl. 58
marginata C. L. K. . . 57
montana (Cl.) 56
peltata Wid. 57
phrygiana C. L. K. . . 56
pusilla Sund. 58
triangularis (Cl.). . . . 57
Lithyphantes Thorell . . . 40
corollatus (Lin.) . . . 41
Paykullianus (Walck.) . 41
Lophomma Menge 126
herbigradum (Bl.) . . . 127
punctatum (Bl.). . . . 127
Macrargus Dahl 78
adipatus (L. Koch) . . 79
rufus (Wid.) 78
Maso Simon 133
(?) carpathicus Chyz. n. sp. 133
Sundevallii (Westr.) . . 133
Mecynargus Kulczynski . . 121
longus (Kulcz.) 121
Metopobactrus Simon . . . 95
Rayi (Sim.) 96
Microneta Menge 85
conigera (Cambr.) . . . 86
glacialis (L. Koch.) . . 86
viaria (Bl.) 86
Micryphantes C. L. Koch. . 86
corniger (Bl.) 87
fuscipalpis C. L. K. . . 88
retroversus (Cambr.) . . 88
rurestris L. K. 88
Mimetus Hentz 11
laevigatus (Keys.) . . . 12
Minicia Thorell 134
marginella (Wid.) . . . 134
Minyriolus Simon 113
pusillus (Wid.) 114
Moebelia Dahl 97
penicillata (Westr.) . . 97
Nematogmus Simon 122
obscurus (Bl.) 123
sanguinolentus (Walck.) . 123
Neriene Blackwall 92
agrestis Bl. 94
apicata Bl. 93
fusca Bl. 94
gibbifera (Kulcz.) . . . 94
retusa (Westr.) 94
Nesticus Thorell 13
affinis Kulcz. n. sp. . . 14
cellulanus (Cl.) 14
fodinarum Kulcz. n. sp. . 15
hungaricus Chyz. n. sp. . 17
puteorum Kulcz. n. sp. . 16
Oreoneta Kulczynski . . . 77
nigra (Cambr.) 78
Panamomops Simon. . . . 130
diceros (Cambr.) . . . 131
sulcifrons (Wid.) . . . 132
Pedanostethus Simon . . . 45
Clarkii (Cambr.). . . . 47
Frivaldszkyi Chyz. n. sp. 47
lividus (Bl.) 48
neglectus (Cambr.). . . 47
truncorum (L. K.) . . . 49
Pholcomma Thorell 49
gibbum (Westr.) . . . 49
Pocadicnemis Simon . . . 122
pumila (Bl.) 122
Poeciloneta Kulczynski . . 71
variegata (Bl.) 71
Porrhomma Simon 75
errans (Bl.) 76
pygmaeum (Bl.) 76
Rosenhaueri (L. K.) . . 77
Scotinotylus Simon 95
aries (Kulcz.) 95
Sintula Simon 88
aërius (Cambr.) 89
Steatoda Sundevall 37
bipunctata (L.) 37
Stemonyphantes Menge . . 53
bucculentus (Cl.) . . . 53
Styloctetor Simon 96
romanus (Cambr.) . . . 96
Syedra Simon 84
gracilis (Menge). . . . 85
Tapinocyba Simon 128
Beckii (Cambr.) 130
insecta (L. K.) 130
pallens (Cambr.) . . . 130
Tapinopa Westring 50
longidens (Wid.) . . . 51
Taranucnus Simon 59
croaticus Chyz. n. sp. . 59
herculanus Kulcz. n. sp. 60
Teutana Simon 36
castanea (Cl.) 36
grossa (C. L. K.) . . . 36
triangulosa (Walck.) . . 36
Theridioidae *Thorell* . . 1
Theridium Walckenaër . . 26
bimaculatum (L.) . . . 32
Blackwallii Cambr. . . 33
denticulatum (Walck.) . 34
formosum (Cl.) 35
herbigradum Sim. . . . 32
impressum L. Koch . . 33
lepidum (Walck.) . . . 32
lineatum (Cl.) 32
nigrovariegatum Sim. . . 33
pallens Bl. 33
pictum (Walck.) . . . 34
pinastri L. K. 34
pulchellum (Walck.) . . 35
riparium Bl. 35
simile C. L. K. 35
sisyphium (Cl.) 33
tepidariorum C. L. K. . 35
tinctum (Walck.) . . . 34
umbraticum L. K. . . . 35
varians Hahn. 34
vittatum C. L. K. . . . 36
Tiso Simon 127
aestivus (L. K.) . . . 127
Trachygnatha Kulczynski. . 91
dentata (Wid.) 91
Trematocephalus Dahl . . . 94
cristatus (Wid.). . . . 95
Trichoncus Simon 102
affinis Kulcz. n. sp. . . 103
saxicola (Cambr.) . . . 105
scrofa Sim. 103
sordidus Sim. 103
Trichopterna Kulczynski . . 117
Blackwallii (Cambr.) . . 117
Troxochrota Kulczynski . . 117
scabra Kulcz. n. sp. . . 125
Troxochrus Simon 124
scabriculus (Westr.) . . 124
Walckenaëra Blackwall . . 137
acuminata Bl. 142
antica (Wid.) 143
capito (Westr.) 143
cucullata (C. L. K.) . . 143
cuspidata Bl. 145
„ var. obsoleta . 145
fugax (Cambr.) 146
Kochii (Cambr.) . . . 145
melanocephala Cambr. . 144
mitrata (Menge). . . . 143
nudipalpis (Westr.) . . 142
obtusa Bl. 143
simplex Chyz. n. sp. . . 144
suspecta (Kulcz.) . . . 144
vigilax (Bl.) 146

INDEX FIGURARUM.

Tabula I.

Fig. 1. Mimetus laevigatus. 2. Ero furcata. 3. E. aphana. 4. E. tuberculata. 5. Nesticus cellulanus. 6. N. affinis. 7. N. fodinarum. 8. N. puteorum. 9. N. Hungaricus. 10. Episinus lugubris. 11. E. truncatus. 12. Euryopis acuminata. 13. E. laeta. 14. E. orsovensis. 15. E. argenteomaculata. 16. E. flavomaculata. 17. Lasaeola Croatica. 18. L. inornata. 19. L. torva. 20. L. prona. 21. L. nigroreticulata. 22. L. nigrina. 23. L. convexa. 24. Theridium bimaculatum. 25. Th. sisyphium. 26. Th. impressum. 27. Th. nigrovariegatum. 28. Th. Blackwallii. 29. Th. pinastri. 30. Th. varians. 31. Th. pictum. 32. Th. tinctum. 33. Th. denticulatum. 34. Th. simile. 35. Th. umbraticum. 36. Th. riparium. 37. Th. formosum. 38. Th. tepidariorum. 39. Th. pulchellum. 40. Th. vittatum. 41. Teutana grossa. 42. Steatoda bipunctata. 43. Lasaeola braccata.

Tabula II.

Fig. 1. Crustulina scabripes. 2. C. guttata. 3. C. rugosa. 4. Asagena phalerata. 5. A. meridionalis. 6. Lithyphantes corollatus. 7. L. Paykullianus. 8. Enoplognatha corollata. 9. E. ambigua. 10. Pedanosthethus neglectus. 11. P. Clarkii. 12. P. Frivaldszkyi. 13. P. lividus. 14. P. truncorum. 15. Comaroma Simonii. 16. Tapinopa longidens. 17. Floronia frenata. 18. Bolyphantes alticeps. 19. B. luteolus. 20. Stemonyphantes bucculentus. 21. Linyphia phrygiana. 22. L. marginata. 23. L. frutetorum. 24. L. hortensis. 25. L. pusilla. 26. L. impigra. 27. L. furtiva. 28. Taranucnus Croaticus. 29. T. Herculanus. 30. Labulla thoracica. 31. Lephthyphantes collinus. 32. L. leprosus. 33. L. crucifer. 34. L. angulipalpis. 35. L. pallidus. 36. L. mansuetus.

Tabula III.

Fig. 1. Lephthyphantes lepidus. 2. L. mughi. 3. L. cristatus. 4. L. Blackwallii. 5. L. tenuis. 6. L. Mengei. 7. L. Henricae. 8. L. Keyserlingii. 9. Poeciloneta variegata. 10. Bathyphantes dorsalis. 11. B. nigrinus. 12. B. approximatus. 13. B. gracilis. 14. B. similis. 15. Porrhomma pygmaeum. 16. P. errans. 17. Oreoneta nigra. 18. Macrargus rufus. 19. M. adipatus. 20. Leptorhoptrum Huthwaithii. 21. Centromerus bicolor. 22. C. expertus. 23. C. pabulator. 24. C. silvaticus. 25. C. similis. 26. C. silvicola. 27. C. incilium. 28. C. arcanus. 29. Syedra gracilis. 30. Microneta glacialis. 31. M. viaria. 32. M. conigera. 33. Micryphantes corniger. 34. M. rurestris. 35. M. fuscipalpis. 36. Sintula aërius. 37. Erigone tirolensis. 38. E. atra. 39. E. dentipalpis. 40. E. vagans. 41. Trachygnatha dentata. 42. Gongylidium rufipes.

Tabula IV.

Fig. 1. Neriene apicata. 2. N. retusa. 3. N. gibbifera. 4. N. fusca. 5. Trematocephalus cristatus. 6. Metopobactrus Rayi. 7. Styloctetor romanus. 8. Moebelia penicillata. 9. Gonatium rubens. 10. G. isabellinum. 11. G. hilare. 12. G. corallipes. 13. Hypomma bituberculatum. 14. Dicyphus cornutus. 15. Dismodicus elevatus. 16. D. bifrons. 17. Trichoncus scrofa. 18. T. sordidus. 19. T. affinis. 20. T. saxicola. 21. Dicymbium nigrum. 22. Diplocephalus cristatus. 23. D. humilis. 24. D. connectens. 25. D. subelevatus. 26. D. Helleri. 27 D. latifrons. 28. D. picinus. 29. D. crassiloba. 30. Entelecara acuminata. 31. E. congenera. 32. E. erythropus. 33. Minyriolus pusillus. 34. Brachycentrum elongatum. 35. B. parallelum. 36. B. nemorale. 37. B. thoracatum. 38. B. Medusa. 39. Trichopterna Blackwallii. 40. Cnephalocotes interiectus. 41. C. silus. 42. Abacoproeces ascitus. 43. Acartauchenius scurrilis. 44. Mecynargus longus. 45. Pocadicnemis pumila. 46. Nematogmus sanguinolentus. 47. N. obscurus. 48. Troxochrus scabriculus. 49. Troxochrota scabra. 50. Lophomma herbigradum.

Tabula V.

Fig. 1. Pocadicnemis pumila. 2. Nematogmus sanguinolentus. 3. N. obscurus. 4. Troxochrus scabriculus. 5. Troxochrota scabra. 6. Lophomma herbigradum. 7. Tiso aestivus. 8. Gongylidiellum murcidum. 9. Tapinocyba Beckii. 10. T. insecta. 11. T. pallens. 12. Panamomops sulcifrons. 13. P. diceros. 14. Lasiargus hirsutus. 15. Maso Sundevallii. 16. M. carpaticus. 17. Minicia marginella. 18. Ceratinella maior. 19. C. brevis. 20. C. scabrosa. 21. Walckenaëra acuminata. 22. W. antica. 23. W. mitrata. 24. W. obtusa. 25. W. capito. 26. W. cucullata. 27. W. melanocephala. 28. W. simplex. 29. W. fugax. 30. W. vigilax. 31. W. cuspidata. 32. W. cuspidata var. obsoleta. 33. W. Kochii.

Tab. I.

Araneae Hungariae. T. II.

W. Kulczyński ad. nat. del.

Ny. Grund V. utódai Budapest.

M. T. Akad. III. osztályának külön kiadványa. II. 1893. 1894.

W. Kulczyński ad nat. del.

Ny. Grund V. utódai Budapest.

W. Kulczyński ad nat. del.

Ny. Grund V. utódai Budapest.

M. T. Akad. III. osztályának külön kiadványa. II. 1893. 1894.

Araneae Hungariae. T. II.

Tab. IV.

W. Kulczynski ad nat. del.

Ny. Grund V. utódai, Budapest.

M. T. Akad. III. osztályának külön kiadványa. II. 1893. 1894.

W. Kulczyński ad. nat. del.

Ny. Grund V. utódai, Budapest.

M. T. Akad. III. osztályának külön kiadványa. II. 1893. 1894.

BUDAPEST
BORUTH E. KÖNYVNYOMDÁJA
1894.